NATALEM QUADRAGESIMUM

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI

PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE, ETC.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XX. AUGUSTI

ORATIONE

IN AUDITORIO MAJORI HABENDA

CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M. PHILOLOGIAE P. P. O. ET SEMINAR. PHILOL. DIRECTOR,

BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS,

ACADEMIAE H. A. PRORECTOR.

Inest disputatio de Hippodamo Milesio ad Aristotelis Politic. II. 5.

MARBURGI,

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS. MDCCCXLI.

Quam nuper veniam petii, quum Augustissimi Electoris sollemnia natalitia indicens in uno aliquo loco singulari mihi consistendum esse causarer, eadem nunc quoque fretus, quoniam Serenissimi Principis Electoralis natalis pari cum pietate colendus appropinquat, pauca Aristotelis verba elegi, quibus enarrandis ab omnique parte illustrandis quidquid mihi temporis gravissimi muneris negotia ad hanc operam reliqui fecerint impendam. Ne tamen ideo tanti diei gravitati deesse aut defungendi tantum gratia tenue atque expeditum mihi argumentum proposuisse videar, verbis illis continetur notitia hominis, qui quum universam rerum naturam ratione et scientia complecti vellet, tum imprimis omnium quicunque privati de optima rei publicae constitutione disseruerunt princeps exstitit, praetereaque nova nec nostris temporibus antiquata oppidorum exstruendorum descriptione aeternam nominis memoriam reliquit; nec si vel maxime inter ipsos philologos inveniantur quibus illud ignotum aut obscurum esse videatur, ideo minus me operae pretium facturum speraverim, si eum, cui Aristoteles integrum Politicorum caput consecravit, peculiari disputatione exornavero debitoque inter aequales loco restituero. Apposite enim Aristoteles, Platonis aliorumque de civitate et legibus commentariis in judicium vocatis, antequam ad

ipsas Lacedaemoniorum et Cretensium res publicas existimandas transeat, Ἱππόδαμος δέ, inquit, Εὐρυφῶντος Μιλήσιος, ὃς καὶ τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν εὗρε καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέτεμε, γενόμενος καὶ περὶ τὸν ἄλλον βίον περιττότερος διὰ φιλοτιμίαν, οὕτως ὥστε δοκεῖν ἐνίοις ζῆν περιεργότερον τριχῶν τε πλήθει καὶ κόσμῳ πολυτελεῖ, ἔτι δὲ ἐσθῆτος εὐτελοῦς μὲν ἀλεεινῆς δὲ οὐκ ἐν τῷ χειμῶνι μόνον ἀλλὰ καὶ περὶ τοὺς θερινοὺς χρόνους, λόγιος δὲ καὶ περὶ τὴν ὅλην φύσιν εἶναι βουλόμενος, πρῶτος τῶν μὴ πολιτευομένων ἐνεχείρησέ τι περὶ πολιτείας εἰπεῖν τῆς ἀρίστης: hisque deinceps singulorum ejus de republica placitorum expositionem et censuram subjungit, quo mox suo loco redeundum erit. Primum autem, ut ordine procedamus, de condicione hominis vitaeque genere et fatis quantum potero accuratissime disputabo; deinde quaecunque ex scriptis placitisque ejus ad nostram aetatem pervenisse videantur examinabo et ad veros fontes auctoritatemque suam revocabo; postremo oppidorum descriptionem ab Hippodamo inventam ratione atque exemplis illustrare conabor; quae si, ut dixi, plurimam ejus memoriae commendationem addidit, ne hoc quidem titulo argumentum nostrum a Clementissimi Principis persona alienum erit, cujus nomine nunc maxime nova urbis regiae pars ad amussim aedificata insignitur.

Primum igitur, ut a nomine initium ducam, Aristoteles quidem appellat Hippodamum Euryphontis filium Milesium, Hesychius autem Euryboontis 1), Photius denique Eurycoontis filium Milesium, vel

1) S. v. Ἱπποδάμου νέμησις T. II, p. 65: τὸν Πειραιᾶ Ἱππόδαμος, Εὐρυβῶντος παῖς, ὁ καὶ μετεωρολόγος, διεῖλεν Ἀθηναίοις.

Thurium [2]; in quibus quod ad patriam attinet mox pluribus videbimus; de patre plerique recentiorum Aristotelis auctoritatem secuti sunt, neque immerito, si quidem grammaticos quoque ex hoc tantum hausisse veri simile est; sin tamen statuerimus illis meliores quam nobis codices praesto fuisse, nihil obstabit quominus etiam Aristotelem ex Photio corrigamus — Hesychii enim Εὐρυβόων proclivi corruptelae debetur [3] — modo ad similitudinem Λαοκόωντος, Ἱπποκόωντος etc. pro Εὐρυκόοντος scribamus Εὐρυκόωντος. Difficilior causa est ipsius Hippodami, quem quum ad similitudinem Homerici ἱπποδάμοιο tanquam *equorum domitorem* correpta penultima pronunciari consentaneum sit, Aristophanes produxit Equitt. v. 327:

ἢ σὺ πιστεύων ἀμέλγεις τῶν ξένων τοὺς καρπίμους,
πρῶτος ὤν, ὁ δ᾽ Ἱπποδάμου λείβεται θεώμενος,

quasi dorica forma esset pro Ἱπποδήμου, neque video quomodo hanc difficultatem expediamus, nisi consulto hac quantitate usum esse Aristophanem suspicemur per cavillationem, ut Laconismum hominis notaret; quod enim Leutschius liquidae eam vim tribuit, ut antecedentem vocalem producat [4], id quanquam non sine quibusdam analogiis dictum est, apud comicum tamen, cui multo major solutionum licentia competebat, aliquam praeterea rationem

---

2) P. 111 ed. Pors.: Ἱπποδάμου νέμεσις ἐν Πειραιεῖ· ἦν δὲ Ἱππόδαμος Εὐρυκόοντος Μιλήσιος ἢ Θούριος μετεωρολόγος· οὗτος διένειμεν Ἀθηναίοις τὸν Πειραιᾶ.

3) De sollemni confusione literarum β et κ cf. Bast. comment. palaeogr. post Gregor. Corinth. Schaef. p. 708.

4) Cf. Welckeri Rhein. Museum T. II, p. 858 sqq.

singularem requirit [5]). Sed cum eodem loco etiam alia quaestio conjuncta est, quae quoniam ad universam hominis condicionem pertinet, commodissime nunc statim et ipsa tractabitur. Nam quum plerique ipsum scholiastam veterem secuti [6]) Hippodamum Archeptolemi patrem, qui apud Aristophanem est, eundem habeant cum Milesio, de quo nunc agimus, quo facto sequeretur, ut hic civitate Attica donatus et ad pagum Agrylensium relatus esset, cui illius filium Archeptolemum adscriptum fuisse constat [7]), Meierus hoc et scriptorum omnium silentio refelli ait [8]), qui quum non taceant architectum et Milesium et Thurium fuisse, multo minus tacituri fuerint Atheniensem factum esse, si is rarum temporibus illis civitatis Atticae donum virtute sua meruisset, et Archeptolemi rebus gestis refutari, qui si patre fuerit non nato cive sed civitate donato,

---

5) Apposite Hermannus elem. doctr. metr. p. 43 hanc nominum propriorum productionem tragicae poësis finibus circumscripsit. nec quidquam causae apparet, cur Aristophanes, cui dactyli usum in hoc genere Hephaestio p. 20 *συνεχῶς*, Porsonus ad Eurip. Hecub. p. XLV in nominibus certe propriis concessit, solius metri causa ad tale artificium confugerit. Prorsus alia causa est *κυνοκεφάλου* apud eundem Equitt. v. 417, etiam si non cum Fritzschio quaestt. Aristoph. p. 283 corrigere libuerit *κυνοκνεφάλλῳ*: in hoc enim vocabulo talem productionem peculiariter usitatam fuisse ipsa exempla a Lentschio allata docent.

6) Integrum locum adscripsi, quia identidem ad eum rediri opus erit: *οὗτος ἐν Πειραιεῖ κατῴκει καὶ οἰκίαν εἶχεν, ἣν ἀνῆκε δημοσίαν εἶναι· καὶ πρῶτος αὐτὸς τὸν Πειραιᾶ κατὰ τὰ Μηδικὰ συνήγαγεν· ἦν δὲ Ἀθηναίοις τίμιος . . . λυπεῖται, φησὶν, ὁ Ἀρχεπτόλεμος· οὗτος γὰρ πολλὰ ὠφέλησε τὴν πόλιν· καὶ οἱ μὲν αὐτὸν φασι Θούριον, οἱ δὲ Σάμιον, οἱ δὲ Μιλήσιον· Κλέωνος δὲ ἐχθρὸς ἦν.*

7) Cf. plebiscitum apud Pseudo-Plutarch. Vitt. X oratt. p. 834: *προδοσίας ὦφλον Ἀρχεπτόλεμος Ἱπποδάμου Ἀγρύληθεν κ. τ. λ.*

8) Cf. Meieri comm. V de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem part. sextam ante Ind. schol. Hal. 1838—39, p. 85.

non potuerit ita capessere rempublicam, ut eum capessivisse Aristophanes probet; postremo etiam nomen Euryphontis, quo Milesii pater usus sit, Archeptolemos ab ea familia alienos esse docere; quae num recte ille disputaverit, eo magis necessarium est quaerere, quia inde etiam is usus pendet, quem Aristophanis verba ad aetatem nostri definiendam praebere possint. Et illud quidem certum est, plurimos Milesium tantum appellare, cui quod Photius addit Thurium, eodem modo intelligendum est, quo etiam Herodotus aliis Halicarnassensis aliis Thurius dicitur [9]), nimirum quia socius ad eam coloniam accessit, quae Olymp. LXXXIII, 3 vel LXXXIV, 1 a Pericle in priscae Sybaris locum deducta est [10]); Atheniensem factum esse nemo perscripsit, neque ipse scholiasta plus eam in rem tradidit quam in honore apud Athenienses fuisse, et aedes quas in Piraeeo haberet, rei publicae permisisse; cetera autem argumenta haud scio an adeo infirma sint, ut ipsa potius ad temporum rationes exigenda esse quam his lucem affundere posse videantur. Nimirum quod rarum etiam tum civitatis Atticae donum fuisse ait, si vel maxime concederemus, tamen omni tempore haud gravate

9) Cf. Dahlmanni Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte T. II, P. 1, p. 5; Baehr. ad Herod. T. IV, p. 380 sqq.

10) Cf. Theod. Müllerum de Thuriorum republica, Gott. 1838. 4, p. 14. Apud Hesychium quoque pro οὗτος δὲ ἦν καὶ ὁ μετοικήσας εἰς σατυρικοὺς dudum Valesius ad Harpocr. p. 97 emendavit εἰς Θουριακοὺς i. e. Θουρίους, quod certatim viri docti probarunt; mirum tamen scholiastam Aristophanis, qualem nuper Dindorfius edidit, praeter Milesium et Thurium etiam *Samium* dicere, cujus nominis haud scio an illic quoque vestigium supersit.

datam esse constet, si qui bene de republica meruissent [11]); quo ex genere ipse Meierus alio loco Hippocratis exemplo usus est, quanquam et ipsum nemo veterum Atheniensem quam Coum appellare maluit [12]), neque profecto minora Hippodami in Athenienses merita erant, quam, ut hoc utar, Carystionis proditoris, quem Samo capta inter cives receperunt [13]), vel si Archeptolemum demum filium hoc honore affectum volumus, hunc quoque utilissimum Atheniensibus exstitisse scholiasta Aristophanicus testatur [14]). Quod vero hunc negat, si patre peregrino natus fuerit, tam insignem locum in republica capere potuisse, ita tantum agnoscerem, si de archonte vel sacerdote ageretur [15]); in oratore et legato non agnosco, praesertim

11) Cf. Andoc. de reditu §. 23: ὁρῶ δὲ ὑμᾶς πολλάκις καὶ δούλοις ἀνθρώποις καὶ ξένοις παντοδαποῖς πολιτείας διδόντας καὶ εἰς χρήματα μεγάλας δωρεὰς οἳ ἂν ὑμᾶς φαίνωνται ποιοῦντές τι ἀγαθὸν, pluraque apud Westermannum de publ. Athen. honor. et praem. p. 31 sqq.

12) Cf. Meier. de bonis damnatorum p. 52 ex Serani Vita Hippocratis.

13) Schol. Aristoph. Vesp. v. 283.

14) Prorsus mira res est Rankium (de Aristoph. vita p. 381) quasi edicto prohibere, ne quis posthac Archeptolemum Hippodami filium dicere audeat, scholiastaeque verba: οὗτος γὰρ πολλὰ ὠφέλησε τὴν πόλιν . . Κλέωνος δὲ ἐχθρὸς ἦν, non ad hunc sed ad ipsum Hippodamum referre, Archeptolemum vero, quem Hippodamo editum inter reipublicae Atticae administratores non infimo loco fuisse plebiscita a Pseudo-Plutarcho (cf. not. 7) servata satis docent, in grammaticum mutare, quem tali nomine nemo unquam audivit. Multo rectiora dudum docuerat Freimundus h. e. M. H. E. Meierus in philol. Blättern, Vratisl. 1817. 8, p. 182 sqq, neque illud commisit, quod ei exprobrat Leutschius l. c. p. 355, ut inimicitias cum Cleone ad Hippodamum referret; immo quae de hoc dicit, eo tantum spectant, ut transpositionem commendent, qua verba οἱ μὲν αὐτὸν φασι Θούριον, οἱ δὲ Μιλήσιον eo ipso consilio superius poni jussit, ne quae ad Archeptolemum pertinerent, perperam in Hippodamum transferri possent; utque in temporum hujus computatione erraverit (cf. inf. not. 22), de Archeptolemo certe omnia cum pulvisculo exhausit.

15) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterthümer §. 100, not. 5.

ea aetate, qua videmus inter tritissima apud Aristophanem opprobria haberi, ut principes civitatis, quos aculeis suis persequatur, peregrinitatis accuset [16]), neque ab ipso Equitum loco, quem superius adscripsi, ea interpretatio aliena videri poterit, ut hoc potissimum consilio poëta Archeptolemum paterno potius quam suo nomine significaverit [17]), quia eum, qui ipse se peregrinum natum sciret, peregrinorum vexationes aegerrime ferre consentaneum esset. Patris denique nomen quod non idem in filio recurrit, non magis nos movebit, quam si quis Miltiadem Cimonis patrem fuisse neget, quia is non Miltiadem sed Thessalum et Lacedaemonium filios habuit; quod nisi temporum series aut potior auctoritas prohibuerit, quominus architectum Milesium eundem cum Archeptolemi Atheniensis patre habeamus, a reliquis certe partibus scholiastae testimonium tutum erit. Atque hoc in loco nescio quomodo ipse sibi Meierus obstitit, qui postquam Hippodamum Atheniensem cum Milesio confundi vetuit, neque hunc, qui Piraeei descriptione inclaruit, eundem fuisse vult cum eo qui Ol. XCIII. 1 Rhodum urbem ad eandem formam exstruxit [18]), quo facto ipsa illa difficultas tolleretur, quae me sola movere posset, ut Hippodamum Aristophanis alium at-

16) Cf. Doederlin. philol. Beitr. aus der Schweiz p. 39, Elmslej. ad Aristoph. Acharn. v. 518, ipsumque Meierum de bonis damnat. p. 62.

17) Scite Leutschius l. c. p. 358: *dergleichen ist bei unserm Dichter stets von Gewicht;* quam autem ipse rationem indicat, ut patris et filii eadem inertia fuisse videatur, non intelligo quomodo in Hippodamo probari possit.

18) Hoc Strabo tradidit XIV, p. 654: *ἡ δὲ νῦν πόλις ἐκτίσθη κατὰ τὰ Πελοποννησιακὰ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἀρχιτέκτονος, ὥς φασιν, ὑφ' οὗ καὶ ὁ Πειραιεύς.*

que Aristotelis existimarem. Equitum enim fabulam actam esse constat Olymp. LXXXVIII. 4, quo anno si Archeptolemus Hippodami filius jam eo in re publica loco erat, ut cum Cleone committi pacemque cum Lacedaemoniis commendare posset [19]), ut minimum tricenarium fuisse consentaneum est; natus igitur fuerit Olymp. LXXXI 2, patre itidem fere tricenario, quem si ex hac ratione circiter Olymp. LXXIV, 1 natum statuerimus, eo certe tempore, quo Rhodus condita est, prope octogenarium fuisse colligemus. Accedit quod Archeptolemus Olymp. XCII, 2 capitis damnatus est, ejusque ut Antiphontis bona publicata sunt (cf. not. 7), quo tempore ut vel ipsae naturae leges patrem ejus superstitem esse passae sint, tamen si civis Atticus erat et in illa urbe versabatur, aliquam hujus mentionem in

---

19) Cf. Aristoph. Equitt. v. 791: *Ἀρχεπτολέμου δὲ φέροντος τὴν εἰρήνην ἐξεσκέδασας:* ubi neutiquam assentior Palmerio (Exercitt. p. 727), Dukero (ad Thucyd. IV. 16), Krügero (ad Dionys. historiogr. p. 96), Rankio (de Aristoph. vita p. 378), Leutschio (l. c. p. 356), qui Archeptolemum diversum ab Attico legationis Laconicae principem fuisse volunt, quam in sequentibus poëta ab Cleone propulsatam esse queritur. At ut concedam *φέρειν* non eandem vim habere quam *εἰςφέρειν, suadere,* recte tamen verti potest, ut fecit Sieversius Comm. hist. de Xenoph. Hellen. p. 78, Archeptolemum Atheniensibus *pacem quasi obtulisse,* praesertim in ea metaphora, qua Cleo ei pacem oblatam tanquam amphoram vini *excussisse* dicitur; neque alienum erit a persona hominis, qui quum Lacedaemoniorum amicitia uteretur (cf. vit. X orat. p. 833 E), pacem se conciliaturum polliceri poterat; ad legationes autem sequentes Archeptolemum referri vel temporum varietas vetat, qua Cleo hujus pacem *ἐκσκεδάσαι,* legatos vero nunc maxime *ἀπελαύνειν* dicitur. Omnino vix verisimile est comicum singulare hominis peregrini nomen commemorasse, cujus non tanta fama esset, ut proverbii loco haberi posset, ut Brasidae Vesp. 475, Pac. 640; Atheniensem vero pacis auctorem Lacedaemoniis adjungi eo magis crediderim, quo minus populum Atticum decuisset pacem ab exteris oblatam accipere, quos *προκαλεῖσθαι* potius, *invitare* ad *σπονδὰς* secum ineundas oportebat.

plebiscito quod exstat exspectaremus; si quis igitur eundem qui Archeptolemi pater fuit, triennio post hujus supplicium Rhodum aedificasse statuerit, aut illuc confugiendum erit, ut filium demum non patrem civitate Attica usum esse dicat, aut senem decrepitum post calamitatem filii exsulatum abiisse sine veteris cujusquam auctoritate suspicabitur. Eae autem rationes, quibus Meierus motus est, ut Rhodi quoque Piraeeique eundem architectum fuisse negaret, etiam minus mihi quam quas modo excussi ad persuadendum aptae esse videntur. Illic id, quod caput rei erat, nullo antiquo testimonio confirmabatur, sed ita demum ex scholiastae verbis repeti poterat, ut viri in re publica Atheniensium clari patrem et ipsum civem Atticum fuisse colligeremus; Rhodum contra eundem cum Piraeeo architectum habuisse auctor ipse longe scholiasta locupletior claris verbis tradit, nec quod id tanquam auditum tantum narrat, in re tot ante saeculis facta auctoritatem ejus imminuere potest; de temporibus vero quod dubitat num ejusdem hominis fuerit tot annorum spatio diremtis urbium aedificationibus praeesse, ne duodecim quidem Olympiadum intervallum nimium ad eam operam censendum esse, ut alios mittam, Ageladae exemplum ostendit, quem ut minimum ab Olymp. LXVIII usque ad LXXIX artem exercuisse constat [20]). Thuriorum certe fundatio vix novem Olympiadibus Rhodi exstructionem antecedit; major controversia est de Piraeeo,

20) Si quidem et signa victorum Olympicorum, qui Ol. LXV et sequentibus vicerant (Sillig. catal. artif. p. 10) et Jovis statuam fecerat, quam Paus. IV. 33. 3 ἐξ ἀρχῆς τοῖς οἰκήσασιν ἐν Ναυπάκτῳ Μεσσηνίων destinatam fuisse narrat; hoc autem etiam si Krügerum

quem quum Themistocles fere Olymp. LXXV, 4 communiverit [21]), multi ne dubitasse quidem videntur, quin eadem Hippodami aetas fuerit [22]), eoque facto effecerunt, ut, quum circiter Olymp. LXVII natum esse oporteret, Rhodum plus quam centenarius aedificasse putandus esset! At huic difficultati jam Odofredi Mülleri acumen ita occurrit, ut oppidum a munimentis distinguendum esse moneret [23]), atque haec quidem, quae ad tutam navibus stationem praebendam necessaria essent, Themistocli relinqueret, oppidum autem, quo non ante frequentatum mercatorum commeatu locum opus erat, Periclis demum tempori tribuit, quem quum omnino praeter utilitatem etiam venustati atque ornatui operam dedisse constet, ea quoque forma, qua Piraeeum ab Hippodamo descriptum esse videbimus, multo magis decet; huic igitur operi exsequendo si Pericli artem suam commo-

---

sequimur (hist. philol. Stud. p. 156 sqq.), ante Olymp. LXXIX, 3 fieri non poterat. Sunt quidem hic quoque qui duos ejusdem nominis artifices exstitisse statuant; his tamen idoneis argumentis occurrerunt Welckerus in Heckeri medic. Annalen 1832 m. Majo p. 36, Kunstblatt 1827, p. 323, et O. Müllerus de Phidiae vita p. 13.

21) Cf. Corsin. Fast. Att. T. III, p. 160 sqq. et Krügerum l. c. p. 12.

22) Boeckh. Staatsh. d. Athener T. I, p. 70: *nur der Piräeus war regelmässig angelegt unter Themistokles von dem Baumeister Hippodamos;* cf. Meier. in philol. Blättern p. 181, Göttling. ad Aristot. Politic. p. 327, Sillig. catal. artif. p. 231, Rankius de Aristoph. vita p. 380; tempora non convenire primus monuit Krügerus ad Dionys. historiogr. p. 336, quanquam is quoque Rhodi aedificationem ab Hippodamo abjudicare, quam hunc a Themistoclis aetate sejungere maluit.

23) In Erschii et Gruberi allgem. Encykl. T. VI, p. 222 et Dorier T. II, p. 255, ubi Thuriorum potius et Piraeei exstructionem eidem Olympiadi tribuit; cf. etiam Handbuch der Archäologie §. 111 et comm. de munimentis Athenarum, Gott. 1836. 4, p. 11, ubi: *Krügerus*, inquit, *et alii viri docti, qui Strabonem erroris arguunt, quod eundem architectum Piraeeum et Rhodum urbem designasse scripsit, metuo ne temere de Strabonis doctrina judicaverint.*

davit, nihil impedit, quominus id circa Olymp. LXXXII vel LXXXIII demum factum esse arbitremur. Ne tamen vel sic nimium intervallum inter primum et extremum opus fuisse videatur, primum quidem vix minus ex eorum rationibus prodit, qui postquam Piraeeum Ol. LXXV designatum statuerunt, eundem architectum Ol. LXXXIV Thuriis condendis praefuisse concedunt; deinde vero recogitandum est, novo invento, cujus primum specimen in Piraeeo designando exhibuit, juvenile ingenium aptissimum fuisse, quique vicesimo quinto aetatis anno Piraeeum, tricesimo Thurios aedificasset, nondum septuagenarium ad similem Rhodiis operam praestandam accedere potuisse; quibus ubi hoc addiderimus, quod scite observatum Meierus mox temere in nescio quem Hippodami filium cognominem transtulit, Thuriis illa ipsa aetate per Dorieum magnam cum Rhodiis necessitudinem intercessisse [24]), Strabonis fides ne externa quidem probabilitate carebit. Unum illud repugnabit, quod superius de Aristophanis loco et Archeptolemo Hippodami filio disputavimus, cujus aetas cum architecti vita, qualem modo descripsimus, aegre conciliabitur; hoc tamen ipso argumento nec Meiero uti licuit, quem ipsum Hippodamum Atheniensem a Milesio eodemque Thurio distinxisse diximus, nec nos movebimur, qui ita tantum scholiastam Aristophanis contra Meierum tuendum recepimus, ut nihil aliunde inveniretur, quod temporum rationes turbaret; quod quum aliter

24) Cf. Boeckh. expl. Pindar. p. 167 et Schillerum de rebus Thuriorum, Gott. 1838. 4, p. 34.

effici non possit, nisi ut aut vicenarium filio auctum esse aut octogenarium Rhodiorum urbem descripsisse credamus, omnis quaestio eo redibit, unde profecti sumus, ut examinemus, utrum tanti scholiastae testimonium faciendum sit, ut quovis modo cum Strabonis auctoritate componatur, an duobus auctoribus inter se pugnantibus posterior priori cedere debeat. Habet vero etiam grammaticus quo se tueatur; qui si recte tradidit Archeptolemum et ipsum ab aliis Milesium ab aliis Thurium dictum esse, nec pater ejus diversus esse poterit ab architecto, cui easdem patrias tribui vidimus; sin etiam hoc argumentum per transpositionem a Meiero commendatam removerimus (cf. not. 14), alterum manebit, quod Hippodamum domum in Piraeeo possedisse narrat, unde vel omnibus aliis signis deficientibus civem Atticum fuisse colligamus. Peregrinos enim aedium agrorumve possidendorum jus apud Athenienses non habuisse et communi Graecorum usu et claris scriptorum Atticorum testimoniis certum est [25]; scholiastae autem narratio ita comparata est, ut ad alium praeter Milesium Piraeei architectum spectare nequeat; hujus igitur nisi prorsus peculiaris condicio fuit, nihil proclivius erit quam ut eum civitate Attica donatum sibi domum in Piraeeo exstruxisse dicamus, quam posterius, quum Thurios migraret, rei publicae reddiderit. At enim his quoque sunt quae opponi possint; utque mittam vix credibilem esse hominis liberalitatem, qui quum filium sui heredem

25) Cf. Boeckh. Staatshaush. d. Ath. T. I, p. 154; Schömann. antiqu. jur. publ. Graec. p. 190.

haberet, domum suis sumtibus exstructam reipublicae dono dederit, primum illud male habet, quod Archeptolemus Agrylensi tribui prope ipsam urbem sitae [26]) accensetur, quem consentaneum erat, si postea Thuriis Athenas rediisset, in Piraeeo potius censeri, ubi initio pater ejus domicilium posuisset; deinde vero sunt quae vel peregrinis, qui quidem omnem rem familiarem in Atticam transtulissent, etiamsi non in ipsa Athenarum urbe, tamen in Piraeeo aedes habere licuisse suadeant. Eadem certe condicio est Cephali Syracusani, quem a Pericle invitatum [27]) ibidem in Piraeeo consedisse novimus [28]), nec quidquam causae apparet, cur domum, quam illic habitantem apud Platonem conspicimus, conducticiam fuisse statuamus; quod autem Boeckhius singulari peregrinorum generi, qui honoris causa *ἰσοτελεῖς* vocabantur, hoc praecipuum fuisse causatur [29]), Cephali meritum, quo hunc honorem adeptus sit, nemo docuit, sed Lysias demum filius ejus post exactos triginta tyrannos [30]), quum Thrasybuli lex, qua civitatem ipsi conciliare conatus erat, irrita cecidisset, ea immunitate usus esse traditur, quam libertatis Atticae vindices peregrinis, qui suas partes se-

---

26) Harpocrat. p. 46: *Ἀθήνησιν ὑπὲρ τὸ στάδιον τὸ παναθηναϊκὸν πρὸς τῷ δήμῳ τῷ ὑπένερθεν Ἀγρυλέων*: cf. Leake die Demen von Attica übers. v. Westermann p. 23.

27) Lysias adv. Eratosth. §. 4.

28) Plat. Republ. I. init.

29) L. c. p. 155.

30) Hölscherus quidem de vita Lysiae, Berol. 1837. 8, p. 24 non dubitat quin Cephali filii jam antea *ἰσοτελεῖς* fuerint, quia choros instruxerint et domos possederint; sed hoc est circulum in demonstrando committere; cautior ipse Boeckhius, quo auctore ni-

cuti forent, polliciti erant [31]). Atqui Lysias cum Polemarcho fratre jam ante triginta virorum dominationem tres domos habuerat [32]); quod si Diodori narrationem recogitamus, qua jam Themistoclem tradit peregrinis artificibus ceterisque inquilinis, quos undique terrarum Athenas invitarit, simul omnibus immunitatem proposuisse [33]), haud scio an idem quod Xenophon in ipsa urbe inquilinis concedendum esse suadet [34]), in Piraeeo, quem hoc nomine cum liberis quos nostrates appellant portubus comparare liceat, dudum locum habuerit, neque civem esse Hippodamum oportuerit, ut suas sibi aedes illic optimo jure possideret. Immo hoc modo etiam donatio illa, quam ex priori ratione ita tantum explicare poteramus, ut Hippodamum in coloniam proficiscentem domum, quam civitate accepta comparasset, quasi dereliquisse statueremus, multo faciliorem hanc explicationem habet, ut domus pridem ab illo possessa inter

titur, T. II, p. 75: *Lysias spricht von den Choregien, welche er geleistet habe; aber da er Isotele war, seit wann wissen wir freilich nicht, so beweiset dies nichts* etc.

31) Pseudo-Plutarch. Vitt. X Oratt. p. 836: *καὶ οὕτως ἀπελαθεὶς τῆς πολιτείας τὸν λοιπὸν ᾤκησε χρόνον ἰσοτελὴς ὤν*: cf. Xenoph. Hellen. II. 4. 25: *πιστὰ δόντες οἵτινες ξυμπολεμήσειαν, καὶ εἰ ξένοι εἶεν, ἰσοτέλειαν ἔσεσθαι.*

32) Lysias adv. Eratosth. §. 18.

33) Diodor. XI. 43: *καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς τεχνίτας ἀτελεῖς ποιῆσαι, ὅπως ὄχλος πολὺς πανταχόθεν εἰς τὴν πόλιν κατέλθῃ*: quod etsi primo adspectu ad *μετοικίου ἀτέλειαν* (Poll. III. 56) pertinere videatur, recte tamen jam Boeckhius T. I, p. 355: *was Diodor von der Befreiung der Schutzverwandten und Handwerker durch Themistokles sagt, muss ein Missverständniss seyn, welches vielleicht daraus entstand, dass Themistokles diesen Stand auf eine andere Weise begünstigt hatte*: neque absona fuerit suspicio eos locum domibus aedificandis in Piraeeo sine vectigalibus publice accepisse.

34) De vectig. II. 6: *εἶτα ἐπειδὴ καὶ πολλὰ οἰκιῶν ἔρημά ἐστιν ἐντὸς τῶν τειχῶν καὶ οἰκόπεδα, ἐὰν ἡ πόλις διδοίη οἰκοδομησαμένοις ἐγκεκτῆσθαι, οἳ ἂν αἰτούμενοι ἄξιοι δοκῶσιν εἶναι, πολὺ ἂν οἶομαι καὶ διὰ ταῦτα πλείους τε καὶ βελτίους ὀρέγεσθαι τῆς Ἀθήνησιν οἰκήσεως.*

ipsam novi Piraeei aedificationem, quum propositae operis formae obstaret, in communem utilitatem et publica commoda destructa sit; eique explicationi etiam verbum *ἀνῆκε* favere videtur [35]), nisi quis scholiastam ita errasse suspicetur, ut quum Hippodamus in ipsa operis exsecutione domum publicam habitasset, hanc cum propria quam postmodo publicaverit commutarit. Postremo haec utut sint, ne si *ἰσοτελεῖς* quidem et Cephalus et Hippodamus fuerint, filios ideo cives Atticos fuisse manifestum Lysiae exemplum docet, nec si vel maxime grammaticus Archeptolemum civem Atticum pro Hippodami Milesii filio habuit, tutior ab errore fuit quam Tzetzes, quem Cephalum Syracusanum cum oratore Attico turpiter confudisse videmus [36]); sin nihilo minus ejus sententiam sequi voluerimus, ita statuendum erit, Hippodamum circa Ol. LXXVI Mileti natum circa Ol. LXXXI Athenas delatum filium Archeptolemum suscepisse; mox Pericli commendatum Piraeeum designandum conduxisse, eoque perfecto in civitatem Atticam receptum esse; nec tamen diu in ea condicione mansisse, sed Ol. LXXXIV Thurios migrasse et filium quidem nescio quando Athenas remisisse, ut ibi rem publicam capesseret; ipsum autem Thuriis substitisse, filioque plus quam triennio

35) *Ἀνιέναι* solemne vocabulum est de iis quae privatis usibus exemta aut consecrantur aut communi omnium frequentationi aperiuntur; cf. Plat. Crit. p. 112 C: *κήπους καὶ γυμνάσια συσσίτιά τε ἀνέντες*: Legg. VI, p. 761 C: *εἴτε που ἄλσος ἢ τέμενος περὶ ταῦτα ἀνειμένον ᾖ*: Plut. V. Timol. c. 39: *γυμνάσιον τοῖς νέοις ἀνῆκαν*, quosque illic intpp. laudant Valcken. ad Herodot. II. 65 et Spanhem. ad Callim. H. in Cererem v. 47.

36) Chiliad. V. 993 sqq.

superstitem Ol. XCIII Rhodum aedificandam aggressum esse. His igitur qui delectatur perfruitor; nos quamvis omnem lapidem moverimus, ut veterum testimonia, quotquot ad Hippodamum spectare viderentur, inter se conciliaremus, tamen ingenue fatemur, paene nimia nobis haec artificia videri; quod si ea tantum optio relicta est, utrum Archeptolemi patrem ab architecto Milesio an Piraeei designatorem a Rhodi architecto sejungamus, nullus dubito Strabonis auctoritatem grammatico longe praeferre, missaque cum filio Archeptolemo civitate Attica eam saltem laudem, quae ad oppidorum aedificationem pertineat, integram nostro vindicare.

Sed de his posterius disputabimus; quo antequam transeamus, de reliqua hominis vita vitaeque genere vel eam ob causam pluribus disseri necesse est, quia hinc demum etiam ipsum illud oppidorum nova ratione describendorum institutum idoneam lucem accipiet. Etenim ut uno verbo dicam, inter sophistas mihi Hippodamus quoque referendus esse videtur, qui quum eadem aetate quamvis diversis ab initiis progressi tamen muto quodam consensu ipsorumque temporum quasi voce aliqua communi instincti id agerent, ut in suo quisque genere, quae antea naturam aut consuetudinem ducem secuta essent, ad certas leges rationesque revocarent [37]), illius inventum, quo oppidorum exstructio casui fortuitoque hominum arbitrio exemta est, jure meritoque ad eandem indolem referri po-

---

37) Cf. Geschichte und System der platonischen Philosophie T. I, p. 204 sqq.

terit; neque hac sola in re, sed etiam in ceteris, quaecunque de eo memoriae prodita sunt, tanta cum hoc hominum genere similitudo apparet, ut illud quoque vix meliorem explicationem habere videatur. Et primum quidem quod Aristoteles narrat eum universae rerum naturae gnarum esse voluisse, non architectum sed philosophum declarat, qui ultra vulgus sapere cupiens ad summas rerum rationes redire conetur; quo in studio quamvis minus eum quam voluerit effecisse Aristoteles satis clare verbis *εἶναι βουλόμενος* significet, hoc ipsum cum sophistis commune habet, quorum plerique itidem voluntate magis quam successibus conspicui, dum divina pariter et humana omnia mente et cogitatione comprehendebant, tanquam *ceratis ope Daedalea pennis nitentes* magnis ausis exciderunt risumque haud raro prudentioribus praebuerunt. Ipsum adeo vocabulum, quo commune omnium philosophorum opprobrium illo tempore continebatur, in Hippodamum quoque translatum est, ut *μετεωρολόγος* hoc est *sublimium scrutator* vocaretur [38]), neu cui hoc in architecto mirum videatur, Aristophanis verba conferat in Nubb. v. 330, ubi vates, medici, cantores eodem omnes vocabulo *σοφισταὶ* et *μετεωροφένακες* appellantur, quippe qui et ipsi suas quique artes a pristina consuetudine ad novam formam convertissent earumque causas altius quam vulgo traditum esset repeterent. Neque illud in Aristophanei

38) Cf. sup. not. 2; omnino vero Plat. Apol. Socr. p. 23 D: *τὰ κατὰ πάντων τῶν φιλοσοφούντων πρόχειρα ταῦτα λέγουσιν, ὅτι τὰ μετέωρα καὶ τὰ ὑπὸ γῆς κ. τ. λ.* pluraque apud Ruhnken. ad Xenoph. Mem. Socr. I. 2. 31 et Bach. ad Sympos. VI. 6.

loci cum nostro comparatione praetervidendum est, quod eodem modo, quo Hippodamus *curiosius vivere visus est capilli multitudine et ornatu pretioso*, iidem illi sophistae inter alia appellantur σφραγιδονυχαργοκομῆται, hoc est capillo promisso et annulorum splendore jactabundi 39), quod sive cum Lessingio ad tibicines 40), sive cum Welckero ad circulatores medicos 41), sive ad quoscunque alios retulerimus, hoc utique probabit, quod in nostra quaestione summum est, eos potissimum homines, qui quacunque de causa in sophistico genere censerentur, etiam externo cultu et insolito quodam nitore spectari voluisse, eandemque jactantiam suique admirationem, quam in artibus tractandis ostentarent, corporis habitu ac cura prae se tulisse 42). Quod autem *veste* usus esse traditur *vili quidem sed tepida neque hieme tantum verum etiam aestivo tem-*

39) Vossius: *Ringfingeringschlendergelockvolk;* Droysenius: *Stirnlockenpomadenberingte.* Κομᾶν omnino ad fastosum corporis cultum relatum esse constat ex Aristoph. Equ. v. 583 aliisque locis quos contuli in Progymn. sched. II. p. 43, neque opinor eo confugere licebit, ut Hippodamo quippe Thurio hoc patrium fuisse dicamus secundum Philostrat. V. Apollon. III. 15: κομᾶν δὲ ἐπιτηδεύουσιν ὥςπερ Λακεδαιμόνιοι πάλαι καὶ Θούριοι Ταραντῖνοί τε καὶ Μήλιοι καὶ ὁπόσοις τὸ λακωνίζειν ἦν ἐν λόγῳ: Aristoteles enim de temporibus Thurina colonia prioribus loqui videtur.

40) Antiquar. Briefe T. I, p. 177.

41) In Heckeri literar. Annalen der gesammten Heilkunde 1832, p. 150, qui laudat Hippocr. de decenti habitu I. 67: καὶ γὰρ ἀγορὴν ἐργαζόμενοι οὗτοι μετὰ βαναυσίας ἀπατέοντες καὶ ἐν πόλεσιν ἀναχυκλέοντες οἱ αὐτοί· ἴδοι δέ τις καὶ ἐπ' ἐσθῆτος καὶ τῇσι ἄλλῃσι περιγραφῇσι· κἢν γὰρ ἔωσι ὑπερηφανῶς κεκοσμημένοι, πολὺ μᾶλλον φευκτέοι καὶ μισητέοι θεωμένοισιν εἰσι.

42) Cf. etiam Hippiae exemplum apud Platonem Hipp. maj. p. 291 A et Hipp. min. p. 368 B cum Aelian. Var. Hist. XII. 32: Ἱππίαν δὲ καὶ Γοργίαν ἐν πορφυραῖς ἐσθῆσι προϊέναι διαρρεῖ λόγος.

pore [43]), mollitiae quoque in hac re conspicuae socium habet unum ex praeclarissimis eorum qui apud Aristophanem μετεωροσοφισταὶ appellantur [44]), Prodicum Ceum, quem simili habitu apud Platonem in lecto cubantem conspicimus *veste stragula et velleribus involutum iisque satis multis, ut videbatur* [45]), quibus omnibus comprehensis, quamvis ipsi sophistarum turbae nusquam quantum scio Hippodamus annumeretur [46]), vel sola Aristotelis descriptio sententiam nostram, qua eum huic hominum generi accensuimus, satis confirmabit. Difficilior quaestio est de gulositate, qua Equitum Aristophanis interpres suum scilicet Hippodamum infamem fuisse ait [47]); quem si vel maxime constaret eundem cum nostro habendum esse, ipsum tamen grammatici testimonium magnas dubitandi causas prae-

---

43) De constructione verborum interpretes varie sensisse videntur, fueruntque adeo qui verba ἔτι δὲ uncis includerent, ut genitivi ἐσθῆτος εὐτελοῦς μὲν ἀλεεινῆς δὲ penderent a κόσμῳ πολυτελεῖ; hoc tamen manifestam contradictionem in adjecto contineret, quanquam genitivi casus explicatio non omnino in promtu est. Stahrius recentissimus interpres ἕνεκα supplevisse videtur, si quidem vertit: *so wie ferner wegen seiner geringen, aber in Winter- und Sommerzeiten warmen Kleidung;* at haud scio an rectius ex antecedentibus repetamus πλήθει,. quo facto inter se respondebunt τε et ἔτι δὲ, κόσμος autem, nisi negligentius Aristoteles locutus est, ad ipsum capillum pertinebit, quem priscos Atticos sumtuose ornasse constat; cf. Thucyd. I. 6 et Göttling. ad h. l. p. 326.

44) Nubb. v. 359.

45) Plat. Protag. p. 315 D: *ὁ μὲν οὖν Πρόδικος ἔτι κατέκειτο, ἐγκεκαλυμμένος ἐν κῳδίοις τισὶ καὶ στρώμασι, καὶ μάλα πολλοῖς, ὡς ἐδεῖν ἐφαίνετο.*

46) Hippodamantem Platonis adversarium apud Dionys. Hal. epist. ad Cn. Pomp. c. 1 cum nostro confundi recte jam vetuit Krügerus ad Dionys. Historiogr. p. 14.

47) Ad Equitt. v. 327: *διεβάλλετο γὰρ ἐπὶ πολυφαγίᾳ ὁ Ἱππόδαμος· ὡς οὖν τοῦ Κλέωνος ὄντος γαστριμάργου, παρευδοκιμουμένου δὲ ὑπὸ Ἱπποδάμου, κέχρηται τῇ συγκρίσει χρησιμώτατα κ. τ. λ.*

bet. Manifestum est enim hunc in ipsis Aristophanis verbis non genitivum casum sed nominativum legisse:

ὁ δ' Ἱππόδαμος λείβεται θεώμενος,

cui lectioni etiamsi Suidae quoque auctoritas, si diis placet, patrocinari videatur [48]), in codicibus tamen ne antiquissimis quidem adhuc inventa est, utque inveniatur, omnibus artis criticae legibus rejiceretur, si quidem et proclivis corruptela erat nec quidquam causae appareret, quomodo alii scholiastae, si ipsum Hippodamum Cleoni Aristophanes opposuisset, in ejusdem filium Archeptolemum incidissent; atqui hanc ipsam pravam lectionem secutus grammaticus eo delabi poterat, ut ficta ex ipsius poëtae verbis interpretatione, qui illius nationis mos erat, quum Cleoni imprimis etiam insatiabilem cupiditatem exprobrari videret, adversarii ejus dolorem illa ipsa ex causa repeteret, quod is se ab illo in hoc genere vinci vidisset; inque tanta rationum omnium ambiguitate temerarium fore arbitror, qui hanc quoque narrationem ad mollitiem illam ab Aristotele traditam referre illive confirmationem ab hoc testimonio petere voluerit [49]). Illud tantum haud scio an ex alterius interpretis Aristophanei verbis in nostrum usum converti possit, quod is ipsum architectum non tantum Milesium et Thurium sed etiam Samium fuisse

48) T. II, p. 2300 ed. Gaisford. s. v. λείβεται: οὗτος ὁ Ἱππόδαμος ἐν Πειραιεῖ κατῴκει καὶ τὴν οἰκίαν δημοσίαν ἀνῆκε· πικρῶς οὖν λέγει πρὸς Κλέωνα, ὅτι σὺ μὲν σφετερίζῃ καὶ κερδαίνεις, ὁ δὲ εὐνοϊστατος τῇ πόλει καταλείβεται τοῖς δακρύοις, ὁρῶν σε καρπούμενον τὰ τῆς πόλεως ἀναξίως.

49) Rankium, qui l. c. p. CCCLXXX ipsum Aristophanis scholiastam ex Aristotelis narratione hausisse statuit, merito refutavit Leutschius in Rhein. Mus. T. II, p. 356.

tradit (cf. sup. not. 6); domicilii certe inconstantia et ipsa inter eas res habenda est, quibus illius aetatis sophistae a prisco Graeciae more et virtute civili a majoribus tradita maxime desciverunt [50]), nec si triplex illa civitas dubia aut obscura videatur, peregrinationes tolli poterunt, quibus ille sophistarum instar universae Graeciae artis suae copiam fecit. Omnium vero maxime hoc nos advertet, quod Thurinae saltem coloniae participem fuisse constat, quo dici non potest quantus eorum, qui maxime inter aequales sophistis annumerari poterant, confluxus factus esse videatur: habemus ipsum coloniae ducem Lamponem Atheniensem vatem, quem claris verbis Aristophanes in hoc genere recenset [51]), habemus Protagoram, qui leges Thuriis condidisse fertur [52]), Empedoclem, qui statim recens conditam urbem adiit [53]), Tisiam Siculum, oratoriae artis nuper a Corace repertae magistrum [54]), utque Lysiam mittam, qui illic demum a Tisia institutus esse traditur [55]), tamen neque Herodotum, historicae artis principem, ex hoc numero exemerim [56]), neque Dio-

50) Cf. Plat. Tim. p. 19 E: *τὸ δὲ τῶν σοφιστῶν γένος αὖ πολλῶν μὲν λόγων καὶ καλῶν ἄλλων μάλα ἔμπειρον ἡγοῦμαι, φοβοῦμαι δὲ μή πως ἅτε πλανητὸν ὂν κατὰ πόλεις οἰκήσεις τε ἰδίας οὐδαμῇ διῳκηκὸς ἄστοχον ἅμα φιλοσόφων ἀνδρῶν ᾖ καὶ πολιτικῶν κ. τ. λ.*

51) Cf. schol. Nubb. v. 331 nosque in Gesch. d. plat. Philos. p 314.

52) Diog. L. IX. 50.

53) Cf. Apollod. apud eund. VIII. 52: *εἰς δὲ Θουρίους αὐτὸν νεωστὶ παντελῶς ἐκτισμένους Γλαῦκος ἐλθεῖν φησι*: cf. Karsten. ad Empedoclis fragm. p. 44.

54) Cf. Spengel art. scr. p. 87.

55) Cf. Hölscher de vita Lysiae p. 10 sqq. 17 sqq.

56) Cf. Gesch. d. platon. Philos. T. I, p. 311.

57) Cf. Plut. V. Niciae c. 5 pluraque de illo homine apud Osannum Beitr. zur griech. u. röm. Lit. Gesch. T. I, p. 80 sqq.

nysium aeneum, et ipsum coloniae deducendae praefectum [57]), qui si orationem scriptam reliquit [58]), aliter certe egit ac plerique aequalium, qui se sophistas appellari noluerunt [59]); his igitur omnibus si se Hippodamus quoque colonum addidit, a toto vitae instituto, quale modo descripsimus, neutiquam discessit. Atque hac ex hominis indole etiam illud scribendi genus explicatur, quapropter omnino locum in Aristotelis Politicis invenit; nimirum quod *primus omnium inter eos qui rem publicam non gerebant de optima rei publicae ratione dicere occepit;* quod quum mirum videri possit in architecto, in sophista non est, qui non majori cum difficultate ab architectura ad politicam disciplinam transire poterat, quam Euthydemus et Dionysodorus, qui apud Platonem sunt, et ipsi ex Chiis Thurini facti, ex hoplomachis virtutis magistri exstiterunt [60]); sive tanta levitas illius ingenio indigna videatur, Damonis exemplum in promtu est, qui quum artis nomine musicus esset, simul etiam civili prudentiae tantam operam dedit, ut ipse Pericles ejus consilia audiret populusque Atheniensium vel ostracismo eliminandum duceret [61]). Immo vero omnino sophistas a rerum publicarum admini-

58) Athen. XV. 9, p. 669 D: *καὶ τὸν λόγον τοῦτον ἀνέγραφε Καλλίμαχος ἐν τῇ τῶν ῥητορικῶν ἀναγραφῇ.*

59) Plat. Phaedr. p. 257 D: *καὶ σύνοισθά που καὶ αὐτὸς ὅτι οἱ μέγιστον δυνάμενοί τε καὶ σεμνότατοι ἐν ταῖς πόλεσιν αἰσχύνονται λόγους τε γράφειν καὶ καταλείπειν συγγράμματα ἑαυτῶν, δόξαν φοβούμενοι τοῦ ἔπειτα χρόνου, μὴ σοφισταὶ καλῶνται.*

60) Plat. Euthyd. p. 278 cum Winckelmanni prolegg. p. XXV.

61) Plut. V. Pericl. c. 4: *ὁ δὲ Δάμων ἔοικεν ἄκρος ὢν σοφιστὴς καταδύεσθαι μὲν εἰς τὸ τῆς μουσικῆς ὄνομα, πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐπικρυπτόμενος τὴν δεινότητα, τῷ δὲ Περικλεῖ συνῆν καθάπερ ἀθλητῇ τῶν πολιτικῶν ἀλείπτης καὶ διδάσκαλος κ. τ. λ.*

stratoribus, tanquam rivales existimatos esse legimus [62]); quod si nihil aliud significat, nisi illos eadem, quae dudum consuetudine recepta fuerant usuque et experientia a majoribus tradi solebant, in disciplinae formam redegisse causisque suis et rationibus sive veris sive fictis descripsisse, hanc ipsam vim habuit, ut quae antea iis tantum relinquenda visa essent, qui usu et auctoritate ceteris civibus antecellerent ipsiusque populi jussu et fiducia res ejus administrarent, jam a quolibet privato solius rationis librorumve ope eodem modo vel adeo melius existimari posse viderentur. Quanquam in ea certe re ab illis quos Plato respicit sophistis diversam viam Hippodamus ingressus est, quod non ut illi ad plebeculae mores ac cupiditates disciplinam suam composuit, nec turbulentorum hominum libidines rationibus ad persuadendum factis confirmavit, sed aristocratiae potius speciem aequabiliter dispositam ita effinxit, ut si per alias causas Cleonis adversarium ab Aristophane commemoratum ipsius filium dicere liceret, hoc certe in instituto paternae is disciplinae constitisset [63]); eandem tamen ubi paulo propius dispexerimus, eadem omnia, quae in ipsa sophistarum doctrina merito reprehendi possunt, in Hippodami quoque re publica deprehendemus. Nam quod alibi pluribus persecutus sum [64]), maxima sophistarum culpa

62) Plat. Republ. VI, p. 493 A: ἕκαστος τῶν μισθαρνούντων ἰδιωτῶν, οὓς δὴ οὗτοι σοφιστὰς καλοῦσι καὶ ἀντιτέχνους ἡγοῦνται, μὴ ἄλλα παιδεύειν ἢ ταῦτα τὰ τῶν πολλῶν δόγματα, ἃ δοξάζουσιν ὅταν ἀθροισθῶσι, καὶ σοφίαν ταύτην καλεῖν κ. τ. λ.

63) Cf. Leutsch. l. c. p. 357.

64) Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 214 et 224.

vitiumque ipsis illis proprium non in iis cernitur, quae singuli eorum impie aut seditiose contraque bonos mores legumque civilium auctoritatem declamarunt; haec enim omnia vel ex antecedentium philosophorum placitis vel ex ipsius vulgi opinione rerumque publicarum quales tunc erant actionibus tam necessario sequebantur, ut verba tantum, quibus arcanos illos sensus enunciarent, non ipsas sententias sophistae reperisse viderentur; in quo autem pariter omnes et quasi peculiari sui generis errore peccarunt, hoc erat, quod paucis quibusdam formulis iisque interdum adeo de trivio arreptis gravissimas res absolvi posse arbitrabantur, usuque protinus prae ratione spreto quidquid aut primum cogitantibus offerretur aut externam proportionis ac concinnitatis speciem praeberet, statim pro regula ac norma habebant, qua de universis et singulis vel contra sensum communem omniumque temporum experientiam judicarent; ejusque culpae tantum abest ut Hippodamum expertem habere possimus, ut omnia ejus praecepta, quamvis bona fide proposita sint, hunc solum fontem habuisse videantur. Scilicet eodem exemplo, quo oppidorum aedificia ad amussim direxit totamque civitatem certo platearum viarumque numero descripsit, ipsos quoque cives omnemque rem publicam ut ita dicam geometrica lege distribuit, nec singularem hominum indolem locorumve naturam curans, sed qualia votis expeti possent supponens satis sibi plerumque fecisse visus est, si omnia quocunque modo fieret ternario numero inclusisset, qui dici non potest quantam vim exerceat in iis quae ex illius disciplina Aristoteles memoriae tradidit. Sic quum decem civium millia civita-

tem habere statuisset, tres horum partes fecit, unam opificum, alteram agricolarum, tertiam militum qui pro ceteris arma gererent[65]; agros item trifariam divisit in sacros, publicos, privatos[66], nec legum plura genera esse censuit; de quibus enim in judiciis quaeri soleat, tria numero esse, injuriam, damnum, caedem[67]. Ipsis praeterea judicibus trium sententiarum optionem proposuit, quarum unam in tabellis perscriberent, ut aut simpliciter condemnarent aut simpliciter absolverent, aut si mediam quandam viam tenere vellent, id ipsum notarent[68]; magistratus denique aeque tria negotiorum genera curare voluit, publica, peregrina, quaeque ad orborum curam remque tutelarem pertinerent[69]; quorum institutorum quamvis multae partes ex ipso Graecorum jure publico petitae sint, tamen et diversa temere commiscuit neque omnia quae usus hominem in re publica versatum docuisset, satis expendit. Nam quod veterem illam populi distributionem revocare conatur, qua etiam prisci Atti-

65) Aristot. Pol. II. 5. 2: *κατεσκεύασε δὲ τὴν πόλιν τῷ πλήθει μὲν μυριάνδρον, εἰς τρία δὲ μέρη διῃρημένην· ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος τεχνίτας, ἓν δὲ γεωργούς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν καὶ τὰ ὅπλα ἔχον.*

66) Ibidem: *διῄρει δ' εἰς τρία μέρη τὴν χώραν, τὴν μὲν ἱεράν, τὴν δὲ δημοσίαν, τὴν δὲ ἰδίαν· ὅθεν μὲν τὰ νομιζόμενα ποιήσουσι πρὸς τοὺς θεούς, ἱεράν, ἀφ' ὧν δὲ οἱ προπολεμοῦντες βιώσονται, κοινήν, τὴν δὲ τῶν γεωργῶν ἰδίαν.*

67) Ibidem: *ᾤετο δ' εἴδη καὶ τῶν νόμων εἶναι τρία μόνον, περὶ ὧν γὰρ αἱ δίκαι γίγνονται, τρία ταῦτ' εἶναι τὸν ἀριθμόν, ὕβριν, βλαβήν, θάνατον.*

68) Ibid. §. 3: *τὰς δὲ κρίσεις ἐν τοῖς δικαστηρίοις οὐ διὰ ψηφοφορίας ᾤετο γίνεσθαι δεῖν, ἀλλὰ φέρειν ἕκαστον πινάκιον, ἐφ' ᾧ γράφειν, εἰ καταδικάζοι ἁπλῶς τὴν δίκην, εἰ δ' ἀπολύοι ἁπλῶς, κενόν, εἰ δὲ τὸ μὲν τὸ δὲ μή, τοῦτο διορίζειν· νῦν γὰρ οὐκ ᾤετο νενομοθετῆσθαι καλῶς, ἀναγκάζειν γὰρ ἐπιορκεῖν ἢ ταῦτα ἢ ταῦτα δικάζοντας.*

69) Ibidem §. 4: *τοὺς δ' ἄρχοντας αἱρετοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου εἶναι πάντας· δῆμον δ' ἐποίει τὰ τρία μέρη τῆς πόλεως· τοὺς δ' αἱρεθέντας ἐπιμελεῖσθαι κοινῶν καὶ ξενικῶν καὶ ὀρφανικῶν.*

cae incolae per Eupatridas, Geomoros et Demiurgos divisi fuisse traduntur [70]), et illud dubitari potest, num prorsus mutatis temporum rationibus consentaneum fuerit, et si vel maxime fieri potuerit, ut aristocratica illa forma ingruenti imperio populari opponeretur, hoc certe recte Aristoteles reprehendit [71]), quod et democratiae rursus tantum indulsit, ut magistratuum creationem omnibus communem faceret, et armorum tractationem ab agrorum possessione sejunxit, qua omnis militiae subeundae facultas apud Graecos nitebatur [72]). Neque enim propriorum agrorum reditibus caruisse nobilitatem militarem apud antiquos, ipsum Eupatridarum Atticorum exemplum docet, quorum agros pauperes cives quasi conducticios colebant [73]); neque Spartanorum res aliter constitutae erant, qui etsi non ipsi manus agris colendis admovebant, tamen et Helotas suos quisque habebant plurimaeque et optimae terrae fructu ipsis Perioecis agricolis praestabant [74]); sive quis Cretensium exemplo factum esse dicat, ut Hippodamus militibus suis communem agrorum par-

---

70) Plut. V. Thes. c. 24.

71) L. c. §. 5: ἀπορήσειε δ' ἄν τις πρῶτον μὲν τὴν διαίρεσιν τοῦ πλήθους τῶν πολιτῶν. οἵ τε γὰρ τεχνῖται καὶ οἱ γεωργοὶ καὶ οἱ τὰ ὅπλα ἔχοντες κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας πάντες, οἱ μὲν γεωργοὶ οὐκ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τεχνῖται οὔτε γῆν οὔτε ὅπλα, ὥστε γίνονται σχεδὸν δοῦλοι τῶν τὰ ὅπλα κεκτημένων . . . ἀλλὰ δεῖ κρείττους εἶναι τοὺς τὰ ὅπλα κεκτημένους ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, τοῦτο δ' οὐ ῥᾴδιον μὴ πολλοὺς ὄντας· εἰ δὲ τοῦτ' ἔσται, τί δεῖ τοὺς ἄλλους μετέχειν τῆς πολιτείας καὶ κυρίους εἶναι τῆς τῶν ἀρχόντων καταστάσεως;

72) Aristot. Politic. VI. 4. 3: τὸ γὰρ ὁπλιτικὸν τῶν εὐπόρων μᾶλλον ἢ τῶν ἀπόρων: cf. Boeckh. Staatsh. T. II, p. 85.

73) Lehrbuch d. griech Staatsalterth. §. 101 n. 10.

74) Isocr. Panath. §. 179.

tem assignarit [75]), ne illi quidem aut civitatem cum agricolis communicaverant aut ipsos terrae dominos privatorum agrorum portionibus privaverant [76]; denique illud semper manebit, quod idem Aristoteles perite monuit, sive aliud hominum genus praeter agricolas militum agros colere voluerit, quartam incolarum classem adjiciendam fuisse, sive ipsi agricolae et suis et illorum agris operam dent, nihil causae esse, cur communes a privatis distinguantur, quorum reditus tantum ex parte militibus assignari sufficiat [77]. De legibus vero, nisi tertium genus, quod ad mortem spectat, earum esse voluit, quibus capitalis poena sanciretur, eas tantum agnoscimus, quibus ex jure Attico δίκαι et *γραφαὶ ἴδιαι* continebantur [78]; caedem certe si damno et injuriae tertiam adjunxit, haec ritu Graeco neque omnino inter publica crimina censebatur [79]), nec si vel maxime hoc fuisset, magnum eorum numerum comprehendit, quibus res publica aut divina violari

75) Aristot. Politic. II. 7, 4: *ὥστε ἐκ τοῦ κοινοῦ τρέφεσθαι πάντας καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας καὶ ἄνδρας.*

76) Athen. VI. 84: *τὴν μὲν κοινὴν δουλείαν οἱ Κρῆτες καλοῦσι μνοίαν, τὴν δὲ ἰδίαν ἀφαμιώτας, τοὺς δὲ περιοίκους ὑπηκόους*: cf. Lehrbuch cit. §. 22, not. 6 sqq.

77) L. c. §. 6: *οἱ δὲ γεωργοὶ πορίζοντες μὲν τοῖς τὰ ὅπλα κεκτημένοις τὴν τροφὴν, εὐλόγως ἂν ἦσάν τι τῆς πόλεως μέρος, νῦν δ' ἰδίαν ἔχουσι καὶ ταύτην ἰδίᾳ γεωργοῦσιν*: et §. 7: *ἔτι δὲ τὴν κοινὴν, ἀφ' ἧς οἱ προπολεμοῦντες ἕξουσι τὴν τροφὴν, εἰ μὲν αὐτοὶ γεωργήσουσιν, οὐκ ἂν εἴη τὸ μάχιμον ἕτερον καὶ τὸ γεωργοῦν . . . εἰ δ' ἕτεροί τινες ἔσονται τῶν τὰ ἴδια γεωργούντων καὶ τῶν μαχίμων, τέταρτον οὖν μόριον ἔσται τοῦτο τῆς πόλεως, οὐδενὸς μετέχον, ἀλλὰ καὶ ἀλλότριον τῆς πολιτείας· ἀλλὰ μὴν εἴ τις τοὺς αὐτοὺς θήσει τούς τὴν ἰδίαν καὶ τοὺς τὴν κοινὴν γεωργοῦντας . . τίνος ἕνεκεν οὐκ εὐθὺς ἀπὸ τῆς γῆς καὶ τῶν αὐτῶν κλήρων αὐτοῖς τε τὴν τροφὴν λήψονται καὶ τοῖς μαχίμοις παρέξουσι;*

78) Meier. u. Schömann. att. Process p. 162 sqq. et Lehrbuch cit. §. 135 not. 8.

79) Si quidem propinquis tantum ejus persequendae jus erat; cf. Lehrbuch cit. §. 104 not. 5 et Schömanni antiqu. jur. publ. Graec. p. 288.

poterat; quas si nullis legibus tutandas putabat, hic quoque miro modo priscum morem, quo poena criminibus ex arbitrio judicum statuebatur, cum recenti legum subtilitate permiscuit. Saniorem speciem habet, quod eodem modo, quo posterius a Platone in Legibus factum est [80]), summum judicium constitui jussit ex senioribus selectis, quo causae, quae non recte judicatae esse viderentur, rejici possent [81]); at si Aristotelis verba satis intelligo, etiam inferiores judices juratos sibi proposuit [82]), unde vix arbitror ex Graecorum sententia provocationem dari potuisse [83]). Neque illud idoneum rei judiciariae usum ostendere jam Aristoteles intellexit, quod judicum suffragia sic informavit, ut medias quoque sententias in tabellis scriberent; quod nisi ita fiebat, ut apud Romanas institutum fuisse legimus, ut qui nec condemnari neque absolvi reum posse arbitraretur, ampliandi causa sibi non liquere scriberet [84]), in magno praesertim judicum numero inexplicabiles difficultates habebat [85]). Se-

---

80) Legg. VI, p. 767; cf. disp. de vestig. institt. vett. Marb. 1836. 4, p. 44 sqq.

81) Aristot. §. 3: *ἐνομοθέτει δὲ καὶ δικαστήριον ἓν τὸ κύριον, εἰς ὃ πάσας ἀνάγεσθαι δεῖν τὰς μὴ καλῶς κεκρίσθαι δοκούσας δίκας· τοῦτο δὲ κατεσκεύαζεν ἐκ τινῶν γερόντων αἱρετῶν.*

82) Pergit enim (cf. sup. not. 68) *τὰς δὲ κρίσεις ἐν τοῖς δικαστηρίοις κ. τ. λ.* ubi si de uno tantum summo illo judicio ageret, singulari numero usurus erat; rationem autem mox addit: *νῦν γὰρ οὐκ ᾤετο νενομοθετῆσθαι καλῶς, ἀναγκάζειν γὰρ ἐπιορκεῖν ἢ ταῦτα ἢ ταῦτα δικάζοντας*, unde liquido apparet, eum ipsam illam *ψηφοφορίας* emendationem ea de causa proposuisse, ne judices jurati jusjurandum fallere cogerentur.

83) Cf. quae hanc in sententiam disputavi in prooemio lectt. hibern. 1833—1834.

84) Cf. Sigonius de jure ant. pop. Romani T. II, p. 598.

85) Aristot. §. 8: *οὐ καλῶς δ' οὐδ' ὁ περὶ τῆς κρίσεως ἔχει νόμος τὸ κρίνειν ἀξιοῦν διαιροῦντα, τῆς κρίσεως ἁπλῶς γεγραμμένης, καὶ γίνεσθαι τὸν δικαστὴν διαιτητήν κ. τ. λ.* §. 9: *ἔπειτα πῶς οὐκ ἔσται ταραχώδης ἡ κρίσις, ὅταν ὀφείλειν μὲν ὁ δικαστὴς οἴηται, μὴ τοσοῦτον δὲ ὅσον ὁ δικαζόμενος . . . τίς οὖν τρόπος ἔσται τῆς διαλογῆς τῶν ψήφων;*

quitur magistratuum constitutio, quos quod non sorte capi, ut in democratia, sed creari voluit, ex optimatium Graecorum sententia recte fecit, neque orbarum curam, quam illis tribuit, vel summo magistratu indignam habitam esse, non solum archontis Attici sed etiam quodammodo regum Lacedaemoniorum exempla docent [86]; quum autem tria maxime numerentur, quae ab antiquissimis inde temporibus regibus quique horum in locum successerant magistratibus curanda fuerint, ut jus dicerent, ut sacra facerent, ut belli duces exsisterent, Hippodamus longe aliter ipsorum munera descripsit, utque publicis negotiis judicialia, peregrinis militaria comprehendantur eodem modo, quo judicia inter peregrinos apud Athenienses Polemarcho competebant [87], sacrorum certe omissio, quibus solis hinc inde antiquae potestatis umbra retinebatur, haud scio an ex sui potius temporis levitate quam ex prisco Graecorum more originem habuerit [88]. Omnium vero planissime recentis aetatis ingenium apparet in ea lege, qua iis qui novas res civitati utiles invenissent praemium proposuit [89]; quae ut ei hominum generi, cui ipsum Hippodamum superius adscripsimus, gratissima esse debebat, ita et Aristoteli satis lubrica et ambigua visa est, et a vetusta Graecorum

86) Si quidem his orbarum certe cura commissa erat, cf. Herod. VI. 57. De archonte Attico nota res est; cf. Meier. et Schömann. l. c. p. 444 sqq. et Schneider. de re tutelari Atheniensium p. 10.

87) Meier. u. Schöm. l. c. p. 51; Lehrbuch cit. §. 138, not. 10.

88) Wachsmuth. hellen. Alterth. T. II, P. 2, p. 114.

89) Aristot. l. c. § 4: ἐτίθει δὲ νόμον περὶ τῶν εὑρισκόντων τι τῇ πόλει συμφέρον, ὅπως τυγχάνωσι τιμῆς.

de re publica sententia quam longissime abhorrebat [90]). Hos enim vel minus bonas leges, modo ratae et inconcussae haberentur, optimarum mobilitati longe praetulisse legimus [91]), neque ea tantum *εὐνομία* esse videbatur, qua res publica bonis moribus contineretur, sed etiam potior ea, quae eosdem mores quam diutissime servaret [92]); quod num recte an secus fecerint, non hujus loci est quaerere; illud tamen quod superius dixi, hac quoque re satis confirmari arbitror, Hippodamum, quum nec priscae aetatis virtutes omittere nec recentes ingeniorum progressus prohibere vellet, ea miscuisse quae omnino coire inter se non possent, eoque ipso facto manifestum se sophistam exhibuisse, qui passim omnia in suos usus converteret, *resque sibi non se rebus subjungere* studens, dum ea quae in praesentia reprehendenda viderentur corrigeret, novas adeoque graviores offensas, quae ipsius commentis continerentur, parum curaret.

---

90) Ibidem §. 10: *περὶ δὲ τοῦ τοῖς εὑρίσκουσί τι τῇ πόλει συμφέρον, ὡς δεῖ γίνεσθαί τινα τιμήν, οὐκ ἔστιν ἀσφαλὲς τὸ νομοθετεῖν, ἀλλ' εὐόφθαλμον ἀκοῦσαι μόνον· ἔχει γὰρ συκοφαντίας καὶ κινήσεις ἂν τύχῃ πολιτείας. Ἐμπίπτει δὲ εἰς ἄλλο πρόβλημα καὶ σκέψιν ἑτέραν· ἀποροῦσι γάρ τινες, πότερον βλαβερὸν ἢ συμφέρον ταῖς πόλεσι τὸ κινεῖν τοὺς πατρίους νόμους, ἂν ᾖ τις ἄλλος βελτίων* κ. τ. λ. §. 14: *ὁ γὰρ νόμος ἰσχὺν οὐδὲ μίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι πλὴν παρὰ τὸ ἔθος· τοῦτο δ' οὐ γίνεται εἰ μὴ διὰ χρόνου πλῆθος· ὥστε τὸ ῥᾳδίως μεταβάλλειν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων νόμων εἰς ἑτέρους νόμους καινοὺς ἀσθενῆ ποιεῖν ἐστι τὴν τῶν νόμων δύναμιν.*

91) Thucyd. III. 37: *ὅτι χείροσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις κρείσσων ἐστὶν ἢ καλῶς ἔχουσιν ἀκύροις.* Cf. Strabo VI, p. 260: *εὐνομεῖσθαι γὰρ οὐ τοὺς ἐν τοῖς νόμοις ἅπαντα φυλαττομένους τὰ τῶν συκοφαντῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐμμένοντας τοῖς ἁπλῶς κειμένοις,* pluraque in Lehrbuch cit. §. 51 not. 9.

92) Cf. Aristot. Politic. IV, 6. 8 et Dieg. L. III. 103: *ἓν μέν, ἐὰν ὦσιν οἱ νόμοι σπουδαῖοι, εὐνομίαν φαμὲν εἶναι· ἕτερον δὲ ἐὰν τοῖς κειμένοις νόμοις ἐμμένωσιν οἱ πολῖται, καὶ τοῦτό φαμεν εὐνομίαν εἶναι· τρίτον δέ, ἐὰν μὴ ὄντων νόμων κατὰ ἔθη καὶ ἐπιτηδεύματα χρηστῶς πολιτεύωνται.*

At enim vero fuerunt qui Aristotelem omnino falsa de eo homine tradidisse arguerent longeque alia huic placuisse crederent, quam quae ille in Politicis judicio suo persecutus est; immo ipsius Hippodami verba ad nos pervenisse rati quum prorsus aliam horum doctrinam vidissent, summum philosophum fraudis ac malevolentiae insimulare non dubitarunt. Nimirum apud Joannem Stobaeum in Florilegio duobus locis exstant fragmenta dorica dialecto scripta cum hoc lemmate: Ἱπποδάμου Πυθαγορείου ἐκ τοῦ περὶ πολιτείας [93]), tertiumque ibidem inscriptum Ἱπποδάμου Θουρίου ἐκ τοῦ περὶ εὐδαιμονίας [94]); quae quum et placitorum indole et toto scribendi genere eundem auctorem prae se ferant, nihil sane proclivius videatur, quam has ipsas reliquias esse ejus Hippodami, cujus praecepta politica Aristoteles perstrinxit quemque quamvis origine Milesium postmodo Thurios se contulisse luculento grammatici testimonio superius didicimus. Atqui dici non potest quantopere illorum fragmentorum argumentum discrepet ab iis quae modo ex Aristotele de Hippodami Milesii architecti doctrina attulimus; quibus etsi ea similitudo intercedere videatur, quod ternarii numeri non minores apud Stobaeum quam apud Aristotelem partes sunt, ipsae tamen divisiones tripertitae in alia omnia abeunt. Quibus enim classibus universa civitas distingui jubetur, apud Stobaeum sunt consultorum, adjutorum, opificum [95]),

---

93) Stob. Floril. XLIII, 92–94; XCVIII. 71.

94) Ibidem CIII. 26.

95) T. II, p. 122 Gaisford: φαμὶ δ' ἐγὼ εἰς μοίρας τρεῖς διεστᾶσθαι τὴν σύμπασαν πολιτείαν, καὶ μίαν μὲν εἶναι μοῖραν τῶν ἀγαθῶν (fort. ἀρετῇ) κυβερνώντων τὰ κοινά, δευτέραν δὲ τῶν δυ-

quae mox ipsae rursus in ternas partes ita dividuntur, ut milites ad secundam demum referantur, agricolae autem cum fabris ac mercatoribus una eademque tertia comprehendantur [96]); deinde tribus rebus societatem civilem contineri vult, doctrina, morum institutis, legibus, quarum singulas dirigi oporteat ad honestatem, justitiam, utilitatem [97]), hisque ita utitur, ut leges metum, mores pudorem, doctrina cupiditatem in civium animis excitet, quae cum ratione reddenda conjuncta esse soleat [98]); postremo tribus formis rem publicam miscet, ut et regnum et optimatium potestatem et populare imperium contineat [99]), magistratusque ita distribuit, ut quibus muneribus virtute opus sit, ea boni gerant, quibus usu aliquo et expe-

---

νάμει, τρίταν δὲ τῶν ἐκπλαρώσει καὶ χορηγίᾳ τῶν ἀναγκαίων· ὀνομαίνω δὲ τὸ μὲν πρῶτον πλᾶθος βουλευτικόν, τὸ δὲ δεύτερον ἐπίκουρον, τὸ δὲ τρίτον βάναυσον κ. τ. λ.

96) Ibid. p. 123: ταύταν δὲ τᾶν μοιρᾶν ἑκάστα πάλιν εἰς τρία τέτακται· τῶ τε γὰρ βουλευτικῶ μέρεος τὸ μέν ἐστι πρόεδρον, τὸ δὲ ἀρχοντικόν, τὸ δὲ κοινοβουλευτικόν . . . ὡσαύτως δὲ καὶ τῶ ἐπικούρω καὶ δυναμικῶ μέρεος τὸ μέν τι ἐστὶν ἀρχοντικόν, τὸ δὲ προμαχατικόν, τὸ δὲ λοιπὸν καὶ πλεῖον μέρος ἀγελαῖον καὶ στρατιωτικόν . . . τῶ δὲ βαναύσω καὶ βιοπονατικῶ τὸ μέν ἐστι γεωπόνον καὶ περὶ τὰν κατεργασίαν τᾶς χώρας κατασχολούμενον, τὸ δὲ τεχνατικὸν ὄργανα καὶ ἐπιμαχανήματα τοῖς τῶ βίω πράγμασιν ἐκποριζόμενον, τὸ δὲ μεταβατικὸν καὶ ἐμπορικόν κ. τ. λ.

97) Ibid. p. 124: φαμὶ δὲ ἔγωγε τρισὶ τούτοις συναρμόζεσθαι τὰν πολιτικὰν κοινωνίαν, λόγοις, ἐπιτηδεύμασιν ἐθῶν, νόμοις . . . δεῖ δὲ τὰ τρία ταῦτα συντετάχθαι ποτί τε τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ δίκαιον καὶ ἐν ἑκάστῳ αὐτῶν, εἰ μὲν δυνατόν, στοχάζεσθαι πάντων κ. τ. λ.

98) Ibid. p. 125: ἐπεὶ δὲ τᾶς ἀρετᾶς αἰτίαι τυγχάνοντι τρεῖς, φόβος, ἐπιθυμία, αἰδώς, δυνασεῖται δὲ τὸν μὲν φόβον ὁ νόμος ἐμπαρασκευάζειν, τὰν δὲ αἰδῶ τὰ ἔθεα — τοὶ γὰρ ἐθισθέντες καλῶς αἰδέονται τὰ αἰσχρὰ πράσσειν — ὁ δὲ λόγος τὰν ἐπιθυμίαν· ἀγωγὸν γὰρ τᾶς αἰτίας ἀπόδοσις ἅμα καὶ ἐφελκυστικὸν τᾶς ψυχᾶς, ἄλλως δὲ δὴ καὶ γιγνόμενον μετὰ προτροπᾶς κ. τ. λ.

99) Ibid. p. 127: δεῖ τοίνυν βασιλείαν πράταν ἐντετάχθαι καὶ δεύτερον ἀριστοκρατίαν . . . δαμοκρατίαν δὲ ἀναγκαῖον μὲν ἦμεν πάντως· δεῖ γὰρ τὸν πολίταν μέρος ὑπάρχοντα τᾶς συμπάσας πολιτείας φέρεσθαί τι ἀπ' αὐτᾶς γέρας· ἐπέχεσθαι δ' ἱκανῶς αὐτὸν δεῖ· θράσυ γὰρ καὶ προπετὲς τὸ πολὺ πλᾶθος.

rientia, periti, quibus largitione et sumtu, opulenti[100]); quarum omnium rerum in reipublicae Hippodamiae descriptione, quam apud Aristotelem legimus, ne vestigium quidem apparet. His igitur causis motus jam Muretus Aristotelem arguit *interdum non satis bona fide retulisse eorum sententias, quos redarguere ac reprehendere statuisset*[101]), quumque Victorius philosophum defensurus duos Hippodamos distinxisset, Milesiumque qui apud Aristotelem esset, dorica dialecto, qualis in Pythagorei fragmentis apparet, usurum fuisse negasset[102]), primum ipse Muretus ita huic occurrit, ut Milesium etiam aliena dialecto uti potuisse Hippocratis aliorumque scriptorum exemplo moneret[103]), moxque Henricus Valesius eidem sententiae ex duplici Hippodami patria satis speciosam confirmationem petiit[104]); immo etiam qui post Victorium Aristotelem defendere aggressi sunt Riccobonus[105]) eumque secutus Piccartus[106]) eo tantum artificio usi sunt, ut discrimen quod inter hujus et Stobaei

---

100) Ibid. p. 125: *αἴκα τὰς ἀρχὰς ἄρχωντι τὰς μὲν ἀρετᾶς δεομένας τοὶ ἀγαθοί, τὰς δ' ἐμπειρίας τινὸς τοὶ ἔμπειροι, τὰς δὲ παροχᾶς τινὸς καὶ δαπάνας τοὶ εὔποροι, καὶ τούτοις πᾶσι κατὰ τρόπον ἄρξασι τὰς κατ' ἀξίας ἀρχὰς διανέμωντι τὰς τιμάς.*

101) Muret. Var. lectt. I. 14.

102) Victor. Var. lectt. XXXVIII. 2.

103) L. c. XV. 18: *quid autem vetat Hippodamum, quum Mileti quidem natus esset, sed diu versatus in magna Graecia, in qua philosophia illa florebat, ejus gentis sermone scripsisse, non in qua natus esset, sed in qua viveret et cui fortasse potissimum scriberet?* Mirum est etiam Schillerum de rebus Thuriorum p. 55 tam leviter haec tractasse, ut solam dialectum ad duos scriptores distinguendos sufficere putaret.

104) Henr. Vales. emend. IV. 10, p. 111.

105) Ant. Riccobonus in epist. ad Montecatinum inserta hujus Progymnasmatis, Ferrar. 1594. fol. p. 126 indeque repetita in Schneideri comm. p. 117.

106) Comment. ad Aristot. Politica, Jenae 1659. 8, p. 241 sqq.

commentarios intercedit extenuarent eandemque rei publicae formam apud utrumque describi contenderent, nec nostra aetate defuit qui ipsum corporis cultum, quem in Milesio Aristoteles commemorat, Pythagorae sectatorem prodere suspicaretur[107]). Atque illud quidem, opinor, nemo sanus concedet, quo Riccobonus confugit, consultorum classem, quae apud Stobaeum est, apud Aristotelem quoque in iis contineri, quae de seniorum judicio et magistratibus traduntur, si quidem hi non una ex tribus civitatis partibus sunt, sed ab omnibus pariter creantur, nec tres tantum, quot uterque numerat, sed quatuor partes exsisterent, si hos quoque militibus agricolis et opificibus adderemus, sive duos horum posteriores cum Stobaeo in eadem classe censebimus, haec quoque differentia multo major erit, quam Riccobono visa esse videtur; tantumque abest ut hac ratione Muretus erroris convinci possit, ut si illud certum esset, quo ipsius Riccoboni disputatio redit, *in utraque res easdem contineri, ita ut re vera idem Hippodamus intelligi queat*, optimo jure Aristotelis fidem in enarrandis hujus placitis reprehenderemus. Neque vero hoc sufficiet, ut cum Victorio Hippodamum Thurium Pythagoreum a Milesio eodemque Thurio architecto distinguamus, nisi simul illum aut ipsum post Aristotelem vixisse aut certe libros qui ejus nomen gerunt posterius demum prodiisse statuerimus. Verissime enim jam Muretus monuit, *si duo Hippodami fuissent, quo-*

---

107) Göttling. l. c. p. 326: *Sed de Pythagoreo aliquo sermonem esse apud Aristotelem ex verbis* ὥςτε δοκεῖν ἐνίοις ζῆν περιεργότερον τριχῶν τε πλήθει κ. τ. λ. *Muretus fortasse conjecerat; cf. Meiners Gesch. d. Wissensch. I, p. 326.*

rum uterque de re publica scripsisset, nihil causae apparere *cur eorum alterum Aristoteles insectatus sit*, *alterum ne nominarit quidem*, nec si vel plurimum Suidae tribueremus, qui Hippodamum Thurium Theanûs Brontini Pythagorei uxoris aequalem et familiarem nosse videtur[108]), alia hujus atque ipsius architecti aetas constitui posset[109]); quod si dubitari nequit quin veteres ipsi unum tantum Hippodamum norint, qui de re publica scripsisset[110]), alterutrum eorum, qui rei publicae Hippodamiae descriptionem tradiderunt, aut mala fide egisse aut ipsum falsa specie deceptum esse necesse est. Ne tamen Muretum secuti in Aristotelem potius quam in Stobaeum hanc culpam transferamus, praeter summam philosophi auctoritatem aetatemque Hippodamo longe propiorem, et ipsum fragmentorum argumentum, quae apud Stobaeum sunt, et universa reliquiarum illarum, quae Pythagoreorum nominibus venditantur, indoles prohibet, quarum fidem plus quam ambiguam quum satis multi auctores

108) Nimirum librum *περὶ ἀρετῆς Ἱπποδάμῳ Θουρίῳ* eam scripsisse narrat s. v. *Θεανώ* T. I, p. 1851 ed. Gaisford. Attamen neque illius libri usquam praeterea vestigium exstat neque Hippodamus ab Iamblicho aliove scriptore inter Pythagoreos recensetur.

109) Theano ab aliis uxor ab aliis filia vel discipula Pythagorae dicitur, cf. Jonsium de scriptt. hist. philos. p. 22, Rittershus. ad Porphyr. vit. Pythag. p. 19, Menag. ad Diog. L. VIII. 42 et Hist. mul. philos. p. 79 sqq., Wolf. ad Mul. graec. fragm. p. 446 sqq.; sed etiam si posteriorem amplectimur, quae Brontini uxor fuisse traditur, vix conditae Thuriorum coloniae tempora aequare potuit; quod si et ipsa Thuria appellatur et homini Thurino librum aliquem inscripsit, hoc sub ipsa conditae urbis temporis fieri necesse erat.

110) Nescio quid sit quod Harlesius ad Fabr. bibl. gr. T. I, p. 849 ait teste Bandinio Catal. Ms. gr. bibl. Laur. T. I, p. 549 apud Arsenium in *Ἰωνιᾷ* duos Hippodamos distingui; Bandinii enim libro careo; in Violeto autem, quod Walzius edidit, Hippodami ne nomen quidem, quantum memini, nedum fragmenta quae ille memorat exstant.

jam ita elevarint, ut ne minimum quidem amplius illis tribuatur[111]), mihi quoque hac disceptatione paucis defungi licebit. Et primum quidem tota civium distributio per tres classes, qualem superius ex Stobaeo adumbravi, manifestam Platonis imitationem prodit, cujus respublica hac ipsa re et ab omnibus quotquot novimus Graecorum civitatibus et ab ipsa illa, quam Aristoteles ex Hippodamo tradidit, differt, quod milites in custodum tantum adjutorumque numero habet, summam autem rerum aureo alicui generi permittit, quod ipsa origine atque indole naturali ad regendos cives remque publicam sapienter administrandam factum esse fingit[112]); neu quis hoc Platonem potius ex Hippodami libro quam personatum Hippodamum ex illius commentariis hausisse suspicetur, hoc unum recogitet, inter tot obtrectatores, qui posteriori aetate certatim operam dederunt, ut Platonem aliena placita surripuisse insimularent[113]), nullum hujus libri mentionem fecisse; qui si vel eo usque processerunt, ut illum rem publicam fere integram ex Protagorae controversiis transtulisse cavillarentur[114]), tantae similitudinis opportunitatem, quanta hic cer-

---

111) Recte sic etiam Schneiderus p. 119: *nam fieri potest ut omnis ista farrago scriptorum Pythagoricorum ingenio vel fraudi piae hominis alicujus docti Pythagorae nomini et famae faventis debeatur*, pluraque Meiners. Gesch. d. Ursprungs etc. d. Wissensch. T. I, p. 569 sqq. Ritter. Gesch. d. pythagor. Philosophie p. 73 sqq. Gruppe über die Fragmente des Archytas und der älteren Pythagoreer, Berol. 1840. 8.

112) Cf. Remp. III, p. 415 nosque in Allg. Schulzeit. 1831, p. 647 sqq.

113) Cf. Theopomp. apud Athen. XI. 118: *τοὺς πολλοὺς τῶν διαλόγων αὐτοῦ ἀχρείους καὶ ψευδεῖς ἄν τις εὕροι, ἀλλοτρίους δὲ τοὺς πλείους κ. τ. λ.* pluraque in Gesch. u. System d. platon. Philos. T. I, p. 275.

114) Diog. L. III. 37: *ἣν πολιτείαν Ἀριστόξενός φησι πᾶσαν σχεδὸν ἐν τοῖς Πρωταγόρου γεγράφθαι ἀντιλογικοῖς.*

nitur, profecto non neglecturi erant. Alia quoque Platonis doctrinam referunt, velut illud quod caveri jubet a sophistis, qui deos aut omnino esse aut res humanas curare negent[115]; alia vero etiam ad Aristotelem nos remittunt, cujus placita dudum observatum est in his subditiciis Pythagoreorum fragmentis cum Platonicis passim confusa esse[116], utque omne illud partitionum genus, in quo plurima pars fragmentorum a Stobaeo servatorum versatur, διαιρέσεις apud Diogenem Laërtium in memoriam revocat, ubi itidem utriusque philosophi vestigia mirum in modum coaluerunt, ita etiam singula clarissime eam aetatem redolent, quam plurima monumenta docent quacunque de causa Peripateticam doctrinam cum veteris philosophiae inque primis Pythagoricae sectae auctoribus jungere studuisse. Sic totus ille locus de beatitudine, quem peculiari libro ab Hippodamo tractatum esse nemo veterum praeter Stobaeum tradidit, ex intimo ethicae Aristotelicae recessu depromtus est, cujus vel singulas voces apud ficticios Pythagoreos deprehendimus[117], neque

115) Stob. T. II, p. 126: *τὸ τῶν σοφιστῶν γένος ἐπικρίνοντας καὶ δοκιμάζοντας, εἰ ποτὶ τὼς νόμως καὶ τὰ πολιτικὰ δόγματα καὶ τὰς ἰδίας τῶν βίων οἰκονομίας ὠφέλιμα λέγοντι . . . τοιοῦτοι δὲ λόγοι τυγχάνοντι οἱ πάντες ἤτοι μὴ εἶμεν τὸ θεῖον, ἢ καὶ ἐὸν μὴ ἔχεν οὕτως ποτὶ τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὥςτ' ἐπιβλέπεν αὐτὸ καὶ φροντίζεν ἀλλ' ἐᾶν καὶ καταλιγωρεῖν*: cf. Plat. Legg. X, p. 885 sqq.

116) Meiners. l. c. p. 601: *in diesem Zeitraume hatte die aristotelische Philosophie viele Verehrer, von denen sie aber mit der platonischen und verdorbenen pythagorischen zusammengeschmolzen wurde* etc.

117) Ibidem p. 597: *dies erhellt erstlich daraus, dass in einem jeden die Hauptbegriffe der aristotelischen Ethik vorkommen, von denen sich keine Spur weder im Plato noch in andern alten Werken findet, die kein glaubwürdiger Schriftsteller den Pythagoreern zugeeignet oder dem Aristoteles abgesprochen hat, ja deren Erfindung nicht einmal ohne die äusserste Ungereimtheit dem Stagiriten streitig gemacht werden kann. Dergleichen sind die Begriffe*

quae in eodem fragmento de recta legum ratione dicta sunt[118]), Platonis magis quam Aristotelis sententiae respondent; in ipsa autem rei publicae constitutione quod tribus imperii formis mixtis populo quoque ita prospicitur, ut civis quippe totius civitatis pars etiam aliquam juris et honoris partem quasi praecipuam accipiat, prorsus Aristotelicum habemus[119]), eademque causa est eorum quae de legibus cum moribus et ratione conjungendis[120]) morumque constantia ad rem publicam bene administrandam necessaria dicuntur[121]); quod nisi quis eo confugerit, quo olim in Ocello Lucano Franciscus Patritius, ut Aristotelem sua ex prisco scilicet Pythagoreo furatum dicat[122]), nihil restat nisi ut horum quoque fragmentorum eandem condicionem esse statuamus quam ipsius Ocelli totque aliorum ejus-

---

und Grundsätze von Glückseligkeit und der dem Menschen unter allen Thieren eigenthümlichen Fähigkeit glücklich zu seyn etc.; cf. Gruppe l. c. p. 125: *die meisten dieser Fragmente der Pythagoreer drehen sich gleichfalls um die εὐδαιμονία und wir begegnen ganz genau derselben Diction; überall ist wieder die Ethik des Aristoteles mit unbedeutenden Variationen ausgeschrieben* etc.

118) Stob. T. III, p. 341: *ἐν εὐνομίᾳ γάρ τὰ πάντα ἐντὶ, καὶ ἄνευ ταύτας οὔτε γεννᾶται τὸ μέγιστον τᾶς ἀνθρωπείας φύσιος ἀγαθὸν οὔτε γενναθὲν καὶ αὐξαθὲν δύναιτό κα διαμένεν κ. τ. λ.* cf. sup. not. 92.

119) Aristot. Polit. III. 1. 4: *πολίτης δὲ ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς:* cf. §. 8: *ᾧ γάρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως κ. τ. λ.*

120) Ibid. II. 2. 10: *καὶ τόν γε μέλλοντα παιδείαν εἰςάγειν καὶ νομίζοντα διὰ ταύτης ἔσεσθαι τὴν πόλιν σπουδαίαν, ἄτοπον τοῖς τοιούτοις οἴεσθαι διορθοῦν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ἔθεσι καὶ τῇ φιλοσοφίᾳ καὶ τοῖς νόμοις:* cf. sup. not. 97.

121) Stob. T. II, p. 126: *διὸ δεῖ τὼς νομοθέτας καὶ τὼς ἀγελάρχας ἐπιμελῶς παρατηρεῖν, εἰ συνασκεῖται τὰ ἔθεα καὶ ὁμαλῶς πορεύεται διὰ πάντων,* cf. Eth. Nic. X. 9 et Polit. VIII. 1.

122) Cf. Franc. Patritii discuss. Peripat. III. 1, p. 291.

dem farraginis librorum, quos nemo nunc amplius ea aetate ortos esse credet, quam nominum titulis praescriptis mentiuntur. Accedit ut in his quoque fragmentis idem animadvertamus, quod in universo hoc genere jure meritoque pro argumento fraudulosae originis habitum est[123]), tantum dico concentum cum aliis, quae alius Pythagorei nomine inscribuntur, ut portenti instar fore videatur, si Hippodamus atque Euryphamus pro se quisque eandem rem tanta verborum similitudine enunciassent[124]); utque justo audacior fuerit Gruppius, qui quum omnino has Pythagoreorum reliquias a Judaeis Alexandrinis fictas suspicetur, Hippodami quoque personati verbis, quibus *βασιλείαν θεοτίμητον πρᾶγμα* nuncupat, Judaïcam indolem tribuere conatus est[125]), Ptolemaeorum tamen aevo haec ipsa verba unice conveniunt, nec magnopere repugnem, si quis totos hos commentarios in eorum numero habeat, quibus adulterandis falsaque specie venditandis Jubae regis studium occasionem praebuisse traditur[126]). Alia quaestio est, num ipse Milesius architectus, postquam

---

123) Meiners. l. c. p. 599: *vergleicht man ferner die Fragmente mehrerer seyn sollender Pythagoreer unter einander, oder die welche einerlei Namen führen mit sich selbst, so findet man dass die erstern in Ansehung der Gedanken und Sprache zu ähnlich sind als dass sie von so vielen verschiedenen Verfassern herrühren können* etc.; cf. Gruppe p. 124 et Petersenius in Zeitschrift f. d. Alterth. 1836, p. 876.

124) Cf. modo Hippodamum apud Stob. T. II, p. 124: *ἐπεὶ δὲ πᾶσα πολιτικὰ κοινωνία λύρᾳ παντελῆ ποτέοικε τῷ ἐξαρτύσιός τε δῆεσθαι καὶ συναρμογᾶς καὶ τὸ τελευταῖον ἐπαφᾶς τινος καὶ προσχρήσιος μωσικᾶς κ. τ. λ.* cum Euryphamo *περὶ βίου* apud eundem T. III, p. 344: *ἀνθρώπῳ γὰρ ὁ βίος λύρας ἐξακριβωμένας καὶ κατὰ πᾶν ἐπιτελέος ἐοίσας εἰκών ἐντι, λύρα τε γὰρ πᾶσα χρῄζει τριῶν τούτων τυχῆν, ἐξαρτύσιος, συναρμογᾶς, ἐπαφᾶς τινος μωσικᾶς κ. τ. λ.*

125) Gruppe l. c. p. 139.

126) Cf. David. in Categ. Aristot. p. 28 schol. Brand., quo primus usus est Prellerus in Hist. philos. gr. rom. p. 61 et in Allg. Lit. Zeit. 1840, Erg. Bl. p. 94.

in Magnam Graeciam migravit, Pythagoricae disciplinae eam operam dederit, qua posterioris temporis falsarius moveri potuerit, ut ejus quoque nomen inter plurima alia ad ficta Italicae scholae monumenta commendanda usurparet, anne praestet eodem tempore alium hominem cognominem in Italia vixisse, qui quamvis nihil scripsisset, famam tamen nominis inter Pythagoreos reliquisset, quo facto vel eo procedi posset, ut aliquis Milesium omnino Thurios pervenisse negaret grammaticosque hoc per nominum tantum confusionem docuisse suspicaretur. Ego vero sicut superius Thuriorum architectum vel propter ipsam aedificationis similitudinem a Piraeei Rhodique designatore non divellendum duxi, ita nunc quoque, si quis unquam inter Pythagoreos Hippodamus habitus est, ipsum nostrum fuisse censeo, qui si rerum naturae cognoscendae tanto opere incubuit, in ipsam coelestis doctrinae patriam delatum hujus quoque familiaritatem contrahere consentaneum erat, neque geometrica illa ars, qua in describendis oppidorum formis opus erat, a mathematica disciplina alienum manere patiebatur, quam eandem Pythagoreos intentis viribus coluisse constat. Quid quod in ipsis de re publica placitis, quae ex Aristotele novimus, sunt quae ad Pythagoreorum exemplum instituta videantur: numeri ternarii usus, cujus omnia quasi vinculo adstrinxit, bonorum inter milites communio, ipsa denique illa ad aristocratiam propensio, qua eum ab aliis sophistici generis doctoribus distinximus; tantumque abest ut hac re ea quae superius de ejus similitudine cum illius aetatis sophistis disseruimus tollantur, ut mirum profecto futurum sit, nisi in tanta

variae doctrinae confusione, qua ipsa haec natio conspicua fuit, solum Pythagoreismum in usus suos convertere neglexissent, neque ut Heracliteos, Anaxagoreos, aliosque veterum philosophorum sectatores in hoc numero cognoscimus, Pythagorei quoque in eodem haberi possint[127]). Unum fortasse obstaret, quo minus commentarium de re publica ad Pythagoricae disciplinae normam referremus, si aliquo indicio eum jam ante Thurios conditos scriptum esse appareret, quale illud foret, quod Göttlingius innuit eo tempore, quo ille legem de liberis eorum, qui in bello pro patria occubuissent, publicis sumtibus educandis proposuerit[128]), idem Athenis nondum institutum videri, quod utique ante Samum Ol. LXXXV a Pericle expugnatam factum sit[129]); propius tamen examinatum hoc argumentum prorsus fallax apparebit. Samo enim expugnata nihil amplius legimus quam orationem funebrem a Pericle habitam esse[130]); at ne hoc quidem tum primum factum esse quum certis veterum testi-

---

127) Ritter. Gesch. d. Philos. T. I, p. 557: *es ist auffallend, dass wir nicht so wie für die übrigen Zweige der frühern Philosophie, auch für die pythagorische eine bestimmte Form der sophistischen Umwandlung finden; jedoch ist nicht zu bezweifeln, dass auch die pythagorische Schule bestimmte Ausartungen erzeugt habe* etc.

128) Aristot. Pol. II. 5. 4: *καὶ τοῖς παισὶ τῶν ἐν τῷ πολέμῳ τελευτώντων ἐκ δημοσίου γίνεσθαι τὴν τροφήν, ὡς οὔπω τοῦτο παρ' ἄλλοις νενομοθετημένον· ἔστι δὲ καὶ ἐν Ἀθήναις οὗτος ὁ νόμος νῦν καὶ ἐν ἑτέραις τῶν πόλεων.*

129) Göttling. ad Aristot. Pol. p. 327: *scripta est haec lex de publice alendis liberis eorum, qui in bello mortui erant, post bella Persica quidem, sed ante 439 a. Chr. Nam Hippodamus Themistoclis aequalis ὡς οὔπω τοῦτο παρ' ἄλλοις νενομοθετημένον dixerat; sed a. 439 oratio funebris a Pericle habita est secundum hanc legem etc.*

130) Plut. V. Pericl. c. 28: *ὁ δὲ Περικλῆς καταστρεψάμενος τὴν Σάμον ὡς ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Ἀθήνας, ταφάς τε τῶν ἀποθανόντων κατὰ τὸν πόλεμον ἐνδόξους ἐποίησε καὶ τὸν λόγον εἰπών, ὥσπερ ἔθος ἐστίν, ἐπὶ τῶν σημάτων ἐθαυμαστώθη.*

moniis[131]) tum ipso alterius orationis funebris, quae apud Thucydidem est, exordio apparet, ubi Pericles de eo, qui hunc morem exsequiis publicis adjecerit, ita loquitur, ut alium ante ipsum fuisse intelligamus[132]); praeterea ex iisdem verbis prodit ipsam legem de exsequiis etiam orationis additamento antiquiorem fuisse, ejusque legis, si Diogenem Laertium sequimur[133]), jam Solo auctor habendus erit; quae quum ita sint, hac quoque in re Aristoteles Hippodamum recte reprehendit, qui tanquam novum inventum commendasset, quod dudum apud alios sancitum esset, temporisque notatio, quo ille librum de re publica conscripserit, inde repeti nullo modo potest.

Quamvis autem in his, quae ad prudentiam civilem et philosophiae studia pertinerent, satis ut videtur levis et obscura Hippodami opera manserit, vix tamen in suo genere minor habendus erit quam Gorgias, Prodicus, Hippias, aliique illius aetatis sophistae, quorum eadem fortuna est, ut in ipsa quidem philosophia non multum aut

---

131) Diodor. Sic. XI. 33: *ὁμοίως δὲ καὶ ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ἐκόσμησε τοὺς τάφους τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ τελευτησάντων καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἐπιτάφιον τότε πρῶτον ἐποίησε καὶ νόμον ἔθηκε λέγειν ἐγκώμιον τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις κ. τ. λ.* cf. Dionys. Hal. V. 17. p. 885.

132) Thucyd. II. 35: *οἱ μὲν πολλοὶ τῶν ἐνθάδε ἤδη εἰρηκότων ἐπαινοῦσι τὸν προςθέντα τῷ νόμῳ τὸν λόγον τόνδε κ. τ. λ.* C. F. Weberus über Perikles Standrede im Thukydides, Darmst. 1827. 4, p. 8 Cimonem ejus moris auctorem suspicatur, quem refutat Sintenis ad Plutarch. l. c. p. 199; probabilius Hüpedenius de Pericl. laud. funebri, Cellae 1831. 4, p. 7 sqq. Themistoclem, Westermannus quaestt. Demosth. part. II, p. 24 Aristidem statuunt, quanquam ad liquidam res perduci vix potest.

133) Sic enim de Solone I. 55: *συνέστειλε δὲ καὶ τὰς τιμὰς τῶν ἐν ἀγῶνι ἀθλητῶν . . . ἀπειρόκαλον γὰρ ἐξαίρειν τὰς τούτων τιμάς, ἀλλ' ἐκείνων μόνων τῶν ἐν πολέμοις τελευτησάντων, ὧν καὶ τοὺς υἱοὺς δημοσίᾳ δεῖν τρέφεσθαι καὶ παιδεύεσθαι:* cf. Petiti legg. Att. VIII. 3. 6, p. 609.

nihil profecerint, grammaticae vero, rhetoricae, mnemonicae, aliarumque artium ea fundamenta jecerint, quibus omnis posterior cura superstrui eorumque vestigia sequi posset. Nimirum haec ipsa sophistici generis indoles et natura erat, ut communi cum tota illa aetate studio quidquid tractarent in artificii formam converterent[184]; quod quum in iis argumentis, quae interna magis necessitate niti quam a formarum aliqua concinnitate externa pendere vellent, absonum et plane alienum eventum haberet, aliis, quorum contraria condicio esset, nihil opportunius accidere poterat, eo praesertim tempore, quum antiquum morum temperamentum adeo evanescere et dilabi coeperat, ut nisi novae rationes adhiberentur, omnia singulari arbitrio cessura essent; nec si vel maxime sophistae ipsi initio humana arbitria pro summis legibus venditare visi sunt, aliorsum hoc evadere poterat nisi ut ea, quae hominibus maxime placerent horumque animis facillime comprehenderentur, in ipsam legum formam abirent, quas quia suas esse norant, multo etiam diligentius servarunt quam eas, quas majores a rerum natura vel consuetudine sibi imponi passi erant. Atque hac ratione etiam Hippodami artificium existimandum est, quo primus oppidorum aedificationem, quae ad illud usque tempus solam naturam aut necessitudinem ducem secuta nihil praeter locorum opportunitatem situsque commoda respexerat, ad certam mensuram revocavit singulisque vicis et plateis ad geometriae leges

184) Ritter Gesch. d. Philos. T. I, p. 195: *die Richtung auf die subjective Seite des Denkens, welche die Wissenschaft blos als Kunstwerk; nicht in Beziehung auf die Erkenntniss des Gegenständlichen betrachtete.*

formasque humanae menti convenientes descriptis ejus dispositionis auctor exstitit, quae deinde *ῥυμοτομίας* nomine summum pulchritudinis in urbe aliqua conspicuae argumentum haberi coepta est[135]). Sophisticum quidem etiam hoc dici poterat, neque miramur Aristophanem, quem constat ubicunque possit priscos mores a novarum rationum corruptela tueri, in simili causa Metonem irridere, qui ut omnino mathematicae disciplinae peritissimus erat, fortasse etiam in coloniis condendis geometricam operam Atheniensibus navaverat[136]); sed nihilominus clarum etiam Metonis nomen apud posteros mansit, neque omnino fieri poterat, quin in tanta privatarum voluntatum licentia, simul atque aliqua novae aedificationis causa data esset, Abderitarum instar[137]) omnia singulorum hominum arbitriis turbarentur, nisi communis eos ratio comprehendisset, quae quamvis et ipsa

135) Hesych. T. II, p. 1126: *ῥυμοτομεῖται εἰς ὀρθὸν κόπτεται*: cf. castra Romanorum apud Polyb. VI. 31. 10 et Joseph. de expugn. Hieros. III. 6: *ῥυμοτομοῦσι δὲ εὐδιαθέτως εἴσω τοῦ στρατοπέδου*, pluraque apud Fuhrium ad Dicaearch. p. 154 et Hirtium Gesch. d. Baukunst T. III, p. 441 sqq.

136) Aristoph. Av. v. 995: *γεωμετρῆσαι βούλομαι τὸν ἀέρα ὑμῖν διελεῖν τε κατὰ γύας* κ. τ. λ. cf. Süvern über Aristophanes Vögel, Berol. 1827. 4, p. 71 et de toto hominum genere, quos illic Aristophanes ridet, Rötscheri Aristophanes und sein Zeitalter p. 384: *sobald diese neue Stadt vollendet, drängen sich eine Menge von Individuen herzu, um sie zu bewohnen; sie alle aber huldigen ein und demselben Principe, und stellen die in die Willkür aufgelöste sittliche und religiöse Allgemeinheit dar, wie die Neuerungsucht über die Natur der Dinge und im Staate.*

137) Horum enim mentio quam maxime nostro loco convenit, quia ipsa illa Kalendarum confusio, quam iis Machon apud Athenaeum VIII. 41 exprobrat, nullam aliam caussam habuit, nisi quia Metone aliquo carebant, quem Atheniensibus intercalationes descripsisse constat, cf. nos in Allg. Schulzeitung 1830, p. 517; attamen ipsum Metonem hoc nomine tecte risisse videtur Aristophanes Nubb. v. 612; cf. Wielandi att. Museum T. II, P. 3., p. 80 sq. et Idelerі Handbuch der Chronologie T. I, p. 322.

a singulari homine oblata tamen manifesto quodam decore et perspicuitate omnium assensus ferret et propter innatam generi humano concinnitatis sensum unicuique quasi ex se orta videri posset. Hippodami vero proprium et peculiare hoc meritum fuisse ex ipsis Aristotelis verbis colligimus, quibus eum *oppidorum distributionem invenisse et Piraeeum viis distinxisse* memorat; nec quae alii aliter de illis verbis commenti sunt, sententiam a plurimis receptam turbare poterunt. Nam quod nonnulli ex antiquioribus interpretibus, Victorius, Lambinus, Meursius, eum *discidisse* potius vel *separasse* Piraeeum ab urbe crediderunt[138]), jam Valesius intellexit κατατέμνειν non hoc significare *sed tantum Piraeeum ab illo dissectum fuisse id est in varias regiones distributum, in porticus scilicet et fora, templa, vicos et navalia, quod proprium est architecti*[139]), eamque explicationem nuper etiam antiqui grammatici auctoritas confirmavit, qui claris verbis *vias* oppidi ab illo *sectas* h. e. *directas* esse narrat[140]), ut omittam etiam aliis veterum scriptorum locis eandem vocem ita usurpari, ut vias vel alia meacula humana arte et consilio imprimis per rectas lineas ducta declaret[141]). Idem vero etiam

138) Cf. Meursii lectt. Att. V. 19 pluraque in Philol. Blättern p. 180.

139) Emendatt. IV. 10, p. 112.

140) Bekk. anecdd. T. I, p. 266: Ἱπποδάμεια ἀγορὰ τόπος ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀπὸ Ἱπποδάμου Μιλησίου ἀρχιτέκτονος, ποιήσαντος Ἀθηναίοις τὸν Πειραιᾶ καὶ κατατεμόντος τῆς πόλεως τὰς ὁδούς, unde etiam Photii Lexicon p. 111 Pors. supplendum esse videtur.

141) Cf. imprimis Herod. I. 180 de Babylone narrantem: κατατέτμηται τὰς ὁδοὺς ἰθείας τάς τε ἄλλας καὶ τὰς ἐπικαρσίας τὰς ἐπὶ τὸν ποταμὸν ἐχούσας, locosque inferius not. 161 et 173 laudandos; adde Xenoph. Anab. II, 4. 13: κατατέτμηντο δὲ ἐξ αὐτῶν καὶ τάφροι ἐπὶ τὴν χώραν, et Vectig. IV. 27: πότερον ἐν ταῖς κατατετμημέναις πλείων ἀργυρῖτις ἢ ἐν ταῖς ἀτμήτοις ἐστί

Klenzio, architecto nostrae aetatis doctissimo, opponi potest; qui quod omnino negat Graecos unquam oppida sua rectis lineis et geometrica forma descripsisse[142]), exemplis quae inferius afferemus satis superque redarguetur; quod autem etiam antecedentia apud Aristotelem in eam sententiam detorquet, ut τὴν τῶν πόλεων διαίρεσιν non ad platearum constructionem sed ad civium genera classesque referat[143]), in Piraeeo certe, Atticae pago, incolarum illa descriptio per tres partes cum pari omnium Atticorum jure et condicione conciliari non poterat, neque opinor philosophus verba sua ita disposuisset, ut praemissa brevi illius διαιρέσεως mentione per multas demum ambages ad doctrinam de optima civitate rediret, si ipsa διαίρεσις ad rei publicae formam ab Hippodamo propositam spectasset nec potius eandem quam reliqua, quae de illo homine narrat, vim ha-

142) Aphoristische Bemerkungen gesammelt auf seiner Reise nach Griechenland von Leo v. Klenze, Berlin 1838. 8, p. 410: *stellen wir aus den Klassikern das Wenige (?) zusammen, was wir von den Regeln wissen, nach welchen die Griechen ihre Stadtanlagen ordneten, so tritt uns bei einer mit offenem Sinne für das Zweckmässige und Herkömmliche gewählten Lage des Ganzen durchaus mehr eine malerische als regelmässige und geometrische Tendenz entgegen!* Plurimum in hac sententia tribuit Strabonis testimonio, qui V, p. 235 Romanorum prudentiam cum Graecis in condendis oppidis comparans: τῶν γὰρ Ἑλλήνων, inquit, περὶ τὰς κτίσεις μάλιστα εὐτυχῆσαι δοξάντων ὅτι κάλλους ἐστοχάζοντο καὶ ἐρυμνότητος καὶ λιμένων καὶ χώρας εὐφυοῦς, οὗτοι προυνόησαν μάλιστα ὧν ὠλιγώρησαν ἐκεῖνοι στρώσεως ὁδῶν καὶ ὑδάτων εἰσαγωγῆς κ. τ. λ.: haec tamen liquido apparet ad electionem potius locorum quam ad urbium aedificandarum formas spectare, tantumque abest ut Strabo in his Graecos internae descriptionis concinnitatem et proportionem servasse neget, ut identidem ipsam ῥυμοτομίαν laudibus efferat, cf. inf. not. 146 et 179.

143) Ibid. p. 412: *die Ausdrücke συνάγειν, διαιρεῖν, νέμησις und διαίρεσις τῆς πόλεως, welche hier für die Anordnungen, welche er im Piraeeus machte, gebraucht werden, scheinen viel mehr auf eine administrative oder politische Anordnung, wie sie Aristoteles beschreibt, als auf die architektonisch-regelmässige Eintheilung der Stadt nach unsern geradlinigten Begriffen zu deuten!*

buisset, ut tota ejus persona atque indoles clarius describeretur. Quanquam huic jam Odofredus Müllerus jure meritoque occurrit[144]; ipse tamen Müllerus nescio quomodo in errorem Klenzium induxerat, quum descriptionem oppidorum ad amussim factam non tam nove inventam ab Hippodamo quam antiquam Ionicam fuisse et ab illo in Graeciam tantummodo translatam esse identidem doceret[145]; quod quum ille testimoniis a Müllero adhibitis confirmari non vidisset, ignosci poterat, si omnia quaecunque Müllerus de Hippodami artificio tradidisset fundamento carere arbitrabatur. Smyrna certe, cujus *ῥυμοτομίαν* Strabo laudat[146], longe diversa erat ab ea quam Iones olim Aeolensibus ereptam obtinuerant[147]; Athenas autem, Ionum metropolin, propter ipsam antiquitatem nulla viarum concinnitate insignem fuisse Dicaearchus testatur[148]; unicus denique

---

144) Gött. gel. Anzeigen 1839, p. 1005; adde etiam Theod. Müllerum de Thuriorum republ. p. 15.

145) Cf. Handbuch der Archäologie der Kunst §. 111. 2: *durch ihn scheint die regelmässige (ionische) Bauweise über die altgriechische enge und winkliche Städteanlage die Oberhand gewonnen zu haben*, atque etiam prius Dorier T. II, p. 255: *die Städte des Peloponnes im Ganzen waren unregelmässig und winklicht gebaut; dagegen bei den Ioniern frühzeitig eine geradlinigte und regelmässige Anlage Sitte wurde, die durch Hippodamus den Milesier sich auch über das übrige Griechenland verbreitete;* quibus etiam Klenzius inductus est, ut p. 411 *die sogenannte ionische Reform der Stadtanlagen* commemoraret, de qua praeter Müllerum ne verbum quidem quisquam unquam fecit!

146) Strabo XIV, p. 646: *ἔστι δ' ἡ ῥυμοτομία διάφορος ἐπ' εὐθειῶν εἰς δύναμιν· καὶ αἱ ὁδοὶ λιθόστρωτοι στοαί τε μεγάλαι τετράγωνοι ἐπίπεδοί τε καὶ ὑπερῷοι κ. τ. λ.*

147) Scilicet ipso Strabone teste viginti stadiis ab eo loco diremta fuit, ubi antiqua Smyrna sita erat: *Λυδῶν δὲ κατασπασάντων τὴν Σμύρναν περὶ τετρακόσια ἔτη διετέλεσεν οἰκουμένη κωμηδόν· εἶτα ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος:* cf. etiam Pausan VII. 5. 1, nisi quod is Alexandrum pro Antigono nuncupat, pariterque Aristid. T. I, p. 431 Dind.

148) *Βίος Ἑλλάδος* initio: *κακῶς ἐῤῥυμοτομημένη διὰ τὴν ἀρχαιότητα.*

Pausaniae locus, ubi Müllerus aliquod Ionicae et Peloponnesiae architecturae discrimen indagare potuit[149]), tantum abest ut prisca Ionum oppida rectioribus lineis latioribusque viis quam Doriensium exstructa fuisse probet, ut primum quidem de foro tantum non de urbe agat, deinde vero ipsam antiquiorem fori formam in porticibus inter se distantibus semitisque divisis ponat, in quo nihil continetur, quod non pariter etiam Hippodameae constructioni adaptari potuerit, aut aliquas loci angustias prodat, in quo Pausanias Eleos vel equos suos exercuisse memorat[150]). Ionicorum fororum quae species fuerit, haud scio an luculentissima Aristidis descriptione discamus, qui Smyrnae recentioris forum ita praedicavit, ut Reiskio propter *semitas superius tectas opere apsidato* et *utrinque tabernis mercium venalium plenis septas* cum iis *quae adhuc in oppidis Asiaticis visuntur, a Turcis* Bazar *appellatae*, comparari posse videretur[151]); Hippodami contra forum, quod ab ipso nomen in Piraeeo duxit, satis magnum campi aperti modum comprehendisse ex iis

149) Paus. VI. 24. 2: *ἡ δὲ ἀγορὰ τοῖς Ἠλείοις οὐ κατὰ τὰς Ἰώνων καὶ ὅσαι πρὸς Ἰωνίᾳ πόλεις εἰσὶν Ἑλλήνων, τρόπῳ δὲ πεποίηται τῷ ἀρχαιοτέρῳ, στοαῖς τε ἀπ' ἀλλήλων διεστώσαις καὶ ἀγυιαῖς δι' αὐτῶν· ὄνομα δὲ τῇ ἀγορᾷ τὸ ἐφ' ἡμῶν ἐστιν ἱππόδρομος, καὶ οἱ ἐπιχώριοι τοὺς ἵππους παιδεύουσιν ἐνταῦθα κ. τ. λ.*

150) Sic etiam Klenzius p. 415: *es ist also hier keineswegs angedeutet, weder dass die alte Art griechischer Marktplätze eng und unregelmässig gewesen sei, noch dass die ionische Art hierin einen Vorzug gehabt habe; es ist aber auch durch diese Stelle durchaus keine Andeutung zu Gunsten der geträumten geradlinigten und regelmässigen ionischen Stadtanlagen gegeben* etc.

151) T. I, p. 376: *καὶ στενωποὶ ἀντ' ἀγορῶν καὶ στενωποὶ τέτραχα σχίζοντες ἀλλήλους, εἰς ὑποδοχὴν τοῦ ἡλίου κ. τ. λ.*

locis apparet, ubi milites illuc convenisse legimus[152]; quod etsi non eam vim habet, ut Ionicam formam, modo ad amussim facta fuerit, ab Hippodamei artificii communione excludat, hoc tamen opinor luce clarius ostendit, quidquid discriminis inter Peloponnesiorum et Ionum fora intercesserit, Hippodami inventum non magis ab horum quam ab illorum exemplo aut consuetudine pependisse. Accedit quod ipse Aristoteles alio loco *Hippodameam rationem, qua singulae privatorum aedes ad amussim dirigerentur, recentem* appellavit[153]; neque per se veri simile est descriptionem, quam Aristoteles contra hostiles invasiones minus tutam esse ait, prius receptam esse, quam Graecorum animi a patriae amore bellique studiis ad pacis artes et vitae quotidianae amoenitatem se convertissent, aut ulla urbs Graeca inveniri poterit, quam ante Hippodami tempora rectis plateis deformatam fuisse constet; mox autem velut signo dato certatim in eam formam transierunt, neque ullum oppidum, cujus aliqua opulentia esset, aut recens conditum aut instauratum audimus, quin ad eandem legem descriptum certaeque formae propositione directum esse videatur. Qualis autem harum aedificationum habitus fuerit, ipsa quae Hippodamo tribuenda vidimus

152) Xenoph. Hellen. II. 4. 11: *οἱ δὲ ἐκ τοῦ ἄστεος ἐς τὴν Ἱπποδάμειαν ἀγορὰν ἐλθόντες πρῶτον μὲν ξυνετάξαντο κ. τ. λ.* Andoc. de Myster. §. 45: *ἀνακαλέσαντες δὲ τοὺς στρατηγοὺς ἀνειπεῖν ἐκέλευσαν Ἀθηναίων τοὺς μὲν ἐν ἄστει οἰκοῦντας ἰέναι εἰς τὴν ἀγορὰν τὰ ὅπλα λαβόντας, τοὺς δ' ἐν Πειραιεῖ εἰς τὴν Ἱπποδαμίαν ἀγορὰν κ. τ. λ.*

153) Aristot. Politic. VII. 10. 4: *ἡ δὲ τῶν ἰδίων οἰκήσεων διάθεσις ἡδίων μὲν νομίζεται καὶ χρησιμωτέρα πρὸς τὰς ἄλλας πράξεις, ἂν εὔτομος ᾖ καὶ κατὰ τὸν νεώτερον καὶ τὸν Ἱπποδάμειον τρόπον, πρὸς δὲ τὰς πολεμικὰς ἀσφαλείας τοὐναντίον, ὡς εἶχον κατὰ τὸν ἀρχαῖον χρόνον· δυσέξοδος γὰρ ἐκείνη τοῖς ξενικοῖς καὶ δυσεξερεύνητος τοῖς ἐπιτιθεμένοις.*

opera abunde docent; quibus etsi non omnia quae usquam exstructa sunt, omnibus singulisque in partibus responderint, sed pro locorum situ conditorumque voluntate et arbitrio diversis figuris variari potuerint, hoc tamen inter se commune habuerunt, quod de Smyrna Aristides jactat[154]), ut omnia aedificia quasi unius corporis speciem praeberent plateisque ad certae formae geometricae normam dispositis atque inter se concinnatis singulae domorum comprehensiones similes fierent, quo facto ipsam consilii unitatem, quae primo statim adspectu intelligeretur, cum longitudine viarum usquequaque aequalium conjunctam animos insolitae venustatis pariter et magnificentiae vi percellere consentaneum erat. Et primum quidem in ipso Piraeeo passim commemoratur forum ipsius Hippodami nomine appellatum[155]), quod quasi centrum et cardinem totius descriptionis fuisse, unde tanquam radii omnes viae proficiscerentur eodemque redirent, etiam Metonis verba apud Aristophanem suadent, quibus ille universam formam oppidi ab integro condendi explicat[156]); Thurios

154) T. I, p. 374 Dind.: *τέταται γὰρ ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ἄνθος ὥρας ἀφεῖσα διηνεκές, ὥςπερ οὐ κατὰ μικρὸν πολισθεῖσα, ἀλλ' εἰςάπαξ ἀνασχοῦσα τῆς γῆς . . . οὐδ' ἂν φαίης εἶναι πόλεις πολλὰς κατὰ μικρὸν διεσπαρμένας, ἀλλὰ μίαν μὲν πολλῶν ἀντίρροπον, μίαν δ' οὖν ὁμόχρουν καὶ σύμφωνον ἑαυτῇ, καθάπερ ἀνθρώπου σῶμα συμβαίνοντα τῷ ὅλῳ τὰ μέρη παρεχομένην.*

155) Cf. sup. not. 152 et Harpocrat. p. 154: *Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον* (§. 22 p. 1190) *ἀγοράν φασιν εἶναι ἐν Πειραιεῖ καλουμένην Ἱπποδάμειαν ἀπὸ Ἱπποδάμου Μιλησίου ἀρχιτέκτονος τοῦ οἰκοδομησαμένου τοῖς Ἀθηναίοις τὸν Πειραιᾶ.* Hieron. Wolfii errorem, qui *Equidomitorium* interpretatus est, jam Meursius castigavit lectt. Att. V. 19. Adde ejusdem Piraeeum c. 2; Schubert. de aedilibus p. 62; Leakii Topographie Athens ex interpr. Rienäckeri p. 348 et p. 353.

156) Aristoph. Av. v. 1004: *ὀρθῷ μετρήσω κανόνι προςτιθεὶς ἵνα*
ὁ κύκλος γένηταί σοι τετράγωνος κἀν μέσῳ
ἀγορά, φέρουσαι δ' ὦσιν εἰς αὐτὴν ὁδοὶ

vero claris verbis legimus plateis ordine decussatis ita distinctos esse, ut quatuor in longitudinem, tres in latitudinem directae totam urbem in pulchram et concinnam speciem digererent[157]); totius denique artificii effectum in Rhodo urbe conspicuum Aristides eodem modo descripsit, quo posterius Smyrna insignis erat, ut nulla pars prae altera emineret, sed perpetua et aequabili constructione non urbis sed domus unius adspectum praeberet, plateaeque ab initio ad finem pertingentes ab angiportorum condicione, qualia in antiquis oppidis erant, maxime differrent[158]). Ceterum hanc urbem loci natura in theatri formam redigi coëgerat[159]), eademque Halicarnassi figura fuit, quam Mausolus rex Cariae circa Olymp. CII regni sui sedem constituit ad suasque rationes, ut ait Vitruvius[160]), ita collo—

ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον, ὥςπερ δ' ἀστέρος
αὐτοῦ κυκλοτέρους ὄντος ὀρθαὶ πανταχῇ
ἀκτῖνες ἀπολάμπωσι κ. τ. λ.

157) Diodor. Sic. XII. 10: *τὴν δὲ πόλιν διελόμενοι κατὰ μὲν μῆκος εἰς τέσσαρας πλατείας, ὧν καλοῦσι τὴν μὲν μίαν Ἡράκλειαν, τὴν δὲ Ἀφροδισιάδα, τὴν δὲ Ὀλυμπιάδα, τὴν δὲ Διονυσιάδα κατὰ δὲ τὸ πλάτος διεῖλον εἰς τρεῖς πλατείας, ὧν ἡ μὲν ὠνομάσθη Ἡρῷα, ἡ δὲ Θουρία, ἡ δὲ Θουρῖνα, ὑπὸ δὲ τούτων τῶν στενωπῶν πεπληρωμένων τὰς οἰκίας ἡ πόλις ἐφαίνετο καλῶς κατεσκευάσθαι.*

158) Aristid. T. I, p. 799: *τῆς δ' ἄλλης πόλεως οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου ὑπερέχον, ἀλλὰ διαρκῆ καὶ ἴσην τὴν κατασκευὴν οὖσαν, ὡς γένοιτ' ἂν οὐ πόλεως ἀλλὰ μιᾶς οἰκίας· ἀγυιὰς δὲ ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος διηνεκεῖς ἥκιστα ἀξίας καλεῖσθαι στενωπούς, λαμπρὰν δὲ λαμπρῶς ἀποτεταμένην πανταχῇ τὴν πόλιν*: cf. Strabo XIV, p. 652 pluraque apud Meursium Rhod. I. 10, p. 28.

159) Diodor. Sic. XIX. 45: *θεατροειδοῦς δ' οὔσης τῆς Ῥόδου καὶ τὰς ἐγκλίσεις τῶν ὑδάτων κατὰ τὸ πλεῖστον εἰς ἕνα τόπον ποιουμένης κ. τ. λ.* XX. 83: *οὔσης δὲ τῆς πόλεως θεατροειδοῦς πάντες τό τε μέγεθος τοῦ στόλου καὶ τὴν αὐγὴν τῶν ἀποστιλβόντων ὅπλων καταπληττόμενοι περὶ τῶν ὅλων οὐ μετρίως ἠγωνίων.*

160) Vitruv. II. 8, cujus haec imprimis verba huc pertinent: *is autem locus est theatri curvaturae similis; itaque in imo secundum portum forum est constitutum, per medium autem altitudinis curvaturam praecinctionemque platea ampla latitudine facta, in qua media Mausoleum etc.*

cavit, ut *acumen ejus et solertiam ad aedificia paranda ibi considerare* liceret; aliorum oppidorum, quae in media terra et planitie sita erant, circularis potius forma fuisse videtur. Messene certe, quam post pugnam Leuctricam Epaminondas adhibitis artis peritis instauravit[161]), eam figuram habuit[162]), neque alia etiam nunc in Mantineae reliquiis apparet[163]), quae quum post pacem Antalcideam a Lacedaemoniis per pagos disjecta esset[164]), post illorum cladem loco paululum mutato[165]) in novam civitatis comprehensionem rediit[166]); de Megalopoli tantum non satis constat; quam etsi consentaneum erat eodem tempore conditam etiam diligentia et dispositione simili, quatenus loci natura pateretur, exstrui[167]), tamen vestigia praeter

161) Paus. IV. 27. 3: *οὕτω παρεσκευάζετο εἰς τὸν οἰκισμὸν, λίθους τε ἄγεσθαι κελεύων καὶ ἄνδρας μεταπεμπόμενος, οἷς τέχνη στενωποὺς κατατέμνεσθαι καὶ οἰκίας καὶ ἱερὰ οἰκοδομεῖσθαι καὶ τεῖχη περιβάλλεσθαι.*

162) Ibid. IV. 31. 5: *περὶ δὲ τὴν Μεσσήνην τεῖχος κύκλος μὲν πᾶς λίθου πεποίηται κ. τ. λ.*

163) Cf. W. Gell Probestücke von Städtemauern des alten Griechenlands, München, Stuttgart und Tübingen 1841. 4, tab. XXXV, qui tamen quod scripsit p. 69: *um die Wiederholung dieser List zu verhindern, umgab Epaminondas, nachdem er einen neuen Plan entworfen und die Strassen in rechten Winkeln angelegt hatte, das Ganze mit einer Mauer von grossen Steinblöcken* etc., haud scio an Mantineam cum Messene confuderit; Pausanias certe qui IX. 14. 4 ab Epaminonda Mantineam restitutam esse narrat, ipse sibi contradicit VIII. 8. 6: *Μαντινέας δὲ ἐκ τῶν κωμῶν κατάξειν ἐς τὴν πατρίδα ἔμελλον Θηβαῖοι μετὰ τὸ ἐν ἔργον τὸ Λεύκτροις κ. τ. λ.* et minus accurate locutus esse videtur; cf. Sievers Gesch. Griechenlands vom Ende des peloponnes. Kriegs, Kiel 1840. 8, p. 253.

164) Cf. Diodor. Sic. XV. 12 et Stallb. ad Plat. Sympos. p. 193 A.

165) Paus. VIII. 12. 4.

166) Xenoph. Hell. VI. 5. 3—5.

167) Paus. VIII. 27; cf. Gell. l. c. p. 70: *das gleichfalls von Epaminondas erbaute Megalopolis scheint Mantinea in der Form so weit geglichen zu haben, als sich mit seiner Lage auf einer Fläche mit Hügelwellungen vertrug, während jenes in Mitte von Sümpfen lag* etc.

theatrum vix supersunt[168]), neque adeo verisimile est rotundam potius quam oblongam ejus speciem fuisse, si quidem Polybius testatur eam majore moenium ambitu tamen minus quam Spartam spatii comprehendisse, quo pacto notissimae geometriae leges de circulari figura cogitari vetant[169]. Atque hoc quidem ultimum oppidum erat, quod libera Graecia ab integro condidit; in insulis autem orisque maritimis tum maxime acrem aedificandi cupidinem exstitisse Coorum exemplum docet, qui Ol. CIII anno tertio vetere oppido Astypalaea relicta novam urbem condiderunt, quae venustate inter omnes conspicua fuisse dicitur[170]; neque commodius tempus inveniri arbitror, quo Mytilene Lesbi urbs ad eam conditionem evecta sit, qua non *natura et situ* magis quam *descriptione aedificiorum nobilis* appellatur[171]. Illud modo in hoc oppido Vitruvius reprehendit, quod *magnificenter* quidem *et eleganter, sed non prudenter positum* sit; *in qua civitate*, inquit, *Auster quum flat, homines aegrotant,*

---

168) Expédition de Morée T. II, p. 43: *comment croire au premier aspect, que cette ville renfermait tant de beaux monuments? aucune ruine importante ne sort de terre; un vaste théatre a seul resisté aux ravages des tems . . . ce qui nous étonne le plus, fut de ne rien retrouver de cette haute et grande enceinte flanquée de tours, qui avait été construite pour la protéger contre les attaques des Spartiates* etc.

169) Polyb. IX. 21: *ὅταν εἴπῃ τις, τὴν μὲν τῶν Μεγαλοπολιτῶν πόλιν πεντήκοντα σταδίων ἔχειν τὸν περίβολον, τὴν δὲ τῶν Λακεδαιμονίων ὀκτὼ καὶ τετταράκοντα, τῷ δὲ μεγέθει διπλῆν εἶναι τὴν Λακεδαίμονα τῆς Μεγάλης πόλεως, ἄπιστον δοκεῖ εἶναι τὸ λεγόμενον . . . τούτου δ' ἐστὶν αἴτιον, ὅτι τῶν ἐν τοῖς παιδικοῖς μαθήμασι παραδιδομένων ἡμῖν διὰ τῆς γεωμετρίας οὐ μνημονεύομεν.*

170) Diodor. Sic. XV. 76: *ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις Κῷοι μετῴκησαν εἰς τὴν νῦν οἰκουμένην πόλιν καὶ κατεσκεύασαν αὐτὴν ἀξιόλογον:* cf. Strabo XIV, p. 657: *ἔπειτα διὰ στάσιν μετῴκησαν εἰς τὴν νῦν πόλιν . . . ἡ μὲν οὖν πόλις οὐ μεγάλη, κάλλιστα δὲ πασῶν συνῳκισμένη καὶ ἰδέσθαι τοῖς καταπλέουσιν ἡδίστη.*

171) Cicero c. Rullum II. 16; cf. Plehnii Lesbiaca, Berol. 1826. 8, p. 16.

quum Corus, tussiunt; quum Septentrio, restituuntur in sanitatem, sed in angiportis et plateis non possunt consistere propter vehementiam frigoris[172]); ne quis tamen hos defectus cum tota ratione Hippodamea necessario conjunctos fuisse existimet, clarissimum Alexandriae exemplum prohibebit, quae quum et ipsa largissimis rectangulisque plateis distincta esset[173]), hoc quoque nomine laudabatur, quod vias ventis annuis excipiendis commodissime dispositas haberet[174]). De eo oppido, quod Dinocrates architectus Alexandro Magno in Atho monte aedificandum proposuit, tacere praestat, quanquam dubitari nequit, quin is, qui Alexandriam rectis lineis formaque ad amussim facta exstruxit, illud quoque ad geometricas leges directurus fuerit[175]); quodque superius in Smyrna vidimus (cf. not. 146 et 154) haud scio an ad omnes urbes transferri possit, quae Alexandri ejusque successorum consilio et magnificentia conditae

---

172) Vitruv. I. 6.

173) Strabo XVII, p. 793: *ἔστι δὲ χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα τοῦ ἐδάφους . . . ἅπασα μὲν ὁδοῖς κατατέτμηται ἱππηλάταις καὶ ἁρματηλάταις, δυσὶ δὲ πλατυτάταις ἐπὶ πλέον ἢ πλέθρον ἀναπεπταμέναις, αἳ δὴ δίχα καὶ πρὸς ὀρθὰς τέμνουσιν ἀλλήλας κ. τ. λ.* Cf. Bonamy in Mem. de l'Acad. d. Inscr. 1731, T. IX, p. 418 sqq. Manso verm. Schriften T. I, p. 252 sqq. Description de l'Egypte T. XVIII, p. 383 sqq. Hirt. Gesch. d. Baukunst T. II, p. 78 sqq. Parthey das alexandrinische Museum p. 20 sqq.

174) Diodor. Sic. XVIII. 52: *διαμετρήσας δὲ τὸν τόπον καὶ ῥυμοτομήσας φιλοτέχνως τὴν πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ προσηγόρευσεν Ἀλεξάνδρειαν, εὐκαιρότατα μὲν κειμένην, εὐστοχίᾳ δὲ τῆς ῥυμοτομίας ποιήσας διαπνεῖσθαι τὴν πόλιν τοῖς ἐτησίοις ἀνέμοις κ. τ. λ.*

175) Moneo hoc propter Klenzium, qui l. c. p. 411: *die Anekdote,* inquit, *von dem Entwurfe, welchen der makedonische Architekt Deinokrates Alexander dem Grossen für eine auf dem Berge Athos zu erbauende Stadt vorlegte, und der Beifall, welchen ihm der Welteroberer dafür zollte, beweisen wenigstens, dass selbst zu jener Zeit noch der Begriff von malerischen Stadtanlagen und dem Werthe von Bergstädten lebendig war;* de re ipsa vide nos ad Lucian. de hist. conscr. p. 91.

sunt. Sic ut hoc utar Sicyonis, quae a Demetrio Poliorcetae in novum situm translata et quasi ab integro exstructa est[176]), ea etiam nunc vestigia cernuntur, quae regularem figuram viarumque decussationem rectangulam manifesto prodant[177]); eandem Thebarum formam fuisse, postquam ab Alexandro devastatae Cassandri beneficio denuo restitutae sunt, claris verbis Dicaearchus testatur[178]); inter ea vero oppida, quae illi prorsus nova in sui nominis famam et memoriam reliquerunt, Nicaeae exemplum sufficiat, cujus *dispositionem*, ut veteris geographi verbis utar, *difficile est in aliis urbibus invenire; regulam enim putat aliquis impositam civitati, ita ut omnia aedificiorum culmina aequali decorata libramine splendidum intuentibus praebere videantur adspectum*[179]). Neque Nico-

176) Diodor. Sic. XX. 102: *ὁ δὲ Δημήτριος πείσας τοὺς Σικυωνίους εἰς τὴν ἀκρόπολιν μετοικῆσαι τὸ μὲν τῷ λιμένι συνάπτον μέρος τῆς πόλεως κατέσκαψεν . . . οἱ δὲ Σικυώνιοι πολλῷ κρείττονα μεταβαλόντες τόπον διετέλεσαν ἐν αὐτῷ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων ἐνοικοῦντες.*

177) Cf. L. Ross in Bulletin de l'Inst. de corresp. archéol. 1840, p. 24: *je fus frappé seulement par la regularité des rues de la nouvelle ville bâtie par Démétrius; car la direction des rues est parfaitement indiquée par les fondemens existans, et d' après la régle citée par Vitruve, elles paraissent avoir été toujours entre deux vents principaux* etc.

178) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 182, n. 9, et de forma urbis insignem locum Dicaearchi p. 143 ed. Fuhr.: *ἡ δὲ πόλις ἐν μέσῳ μὲν τῆς τῶν Βοιωτῶν κεῖται χώρας, τὴν περίμετρον ἔχουσα σταδίων τετταράκοντα, πᾶσα δὲ ὁμαλή· στρογγύλη μὲν τῷ σχήματι, τῇ χρόᾳ δὲ μελάγγειος· ἀρχαία μὲν οὖσα, καινῶς δὲ ἐρρυμοτομημένη διὰ τὸ τρὶς ἤδη κατεσκάφθαι* κ. τ. λ.

179) Cf. Orbis descriptio a Majo edita in Auctt. class. T. III, p. 385 sqq. indeque repetita a Bodio ante Mythogr. T. II, p. XV, pluraque apud Strab. XII, p. 565: *κτίσμα Ἀντιγόνου μὲν πρῶτον τοῦ Φιλίππου, ὃς αὐτὴν Ἀντιγονίαν προσεῖπεν· εἶτα Λυσιμάχου, ὃς αὐτὴν ἀπὸ τῆς γυναικὸς ὠνόμασε Νίκαιαν . . . ἔστι δὲ τῆς πόλεως ἑκκαιδεκαστάδιος ὁ περίβολος ἐν τετραγώνῳ σχήματι, ἔτι δὲ καὶ τετράπυλος, ἐν πεδίῳ κείμενος, ἐρρυμοτομημένος πρὸς ὀρθὰς γωνίας, ὥστ' ἀφ' ἑνὸς λίθου κατὰ μέσον ἱδρυμένου τὸ γυμνάσιον τὰς τέτταρας ὁρᾶσθαι πύλας.*

mediae minor aut splendor aut concinnitas fuisse videtur[180]; omnes autem superabat Antiochia quum reliqua viarum descriptione, tum longissima atque ornatissima platea, quae quatuor passuum millibus per totam urbem ita porrigebatur, ut quum ipsa rectissima linea ducta esset, reliquae omnes rectis angulis cum ea cohaererent[181]; utque hujus forma universa ad Alexandriae similitudinem expressa fuisse videtur, ita ceteris omnibus, quae in illis regionibus postmodo exstruerentur, ipsa pro exemplo fuit[182]. In occidente denique Carthaginis maxime *dispositio gloriosissima* laudatur, non veteris illius, sed coloniae Romanae Gracchi aetate deductae[183], quae et ipsa *in directione vicorum et platearum aequalibus lineis cucurrit*[184]: longius tamen procedere nos nec temporis angustiae neque operis instituti ratio patitur, quod de Graeci hominis invento agens cum iis quae ad Romanas colonias castrorumque metationem atque universam rem gromaticam pertinent permisceri nec vult nec debet.

---

180) Praeter orbis descriptionem modo laudatam cf. imprimis Libanium T. III, p. 339: *εἰς δὲ κάλλους λόγον τὰς μὲν ἀπέλειπε, ταῖς δὲ ἐξισοῦτο, πάντως δὲ οὐκ ἐκρατεῖτο . . . στοῶν δύο δυάσι διειλημμένη, διηκούσαις τοῦ παντὸς, λάμπουσα μὲν δημοσίοις κατασκευάσμασι, τοῖς δὲ ἰδίοις συνεχής κ. τ. λ.* Adde Ammian. Marc. XXII. 9 et Lactant. mort. persec. c. 7.

181) Libanius T. I, p. 337: *οἶμαι γὰρ οὐδεμίαν φανῆναι τῶν οὐσῶν, ᾗ μέγεθός ἐστι τοσοῦτον ἐν οὕτω καλλίστῃ θέσει· ἀρξαμένη γὰρ ἐξ ἕω πρόεισιν ἐπὶ δυσμὰς ἰθυτενής, διδυμον στοῶν ὕψος ἐκτείνουσα· διίστησι δ' αὐτὰς ἀπ' ἀλλήλων ὁδὸς ὕπαιθρος ἐστρωμένη λίθῳ . . . οὕτω δὲ ὕπτιον καὶ συνεχὲς διὰ τέλους οὐκ ἐξηλλαγμένον οὔτε χαράδραις οὔτε πρανέσιν οὔτ' ἄλλων δυσκολιῶν εἴδεσιν, ὥςπερ ἐν γραφῇ χρωμάτων κατ' ἐξουσίαν προςελθόντων· στενωποὶ δὲ ἀπὸ τῶν στοῶν τὰς ἀρχὰς εἰληφότες οἱ μὲν ἐπ' ἄρκτον ἴασι δι' ὁμαλοῦ τοῦ παντὸς, οἱ δ' ἐπὶ μεσημβρίαν πρὸς τοὺς πρόποδας τοῦ ὄρους ἀνατείνουσιν ἠρέμα . . . ἐοίκασι δὲ αἱ μὲν στοαὶ ποταμοῖς ἐπὶ πλεῖστον πορευομένοις, οἱ στενωποὶ δὲ ῥύαξιν ἀπ' αὐτῶν ἠγμένοις κ. τ. λ.*

182) Cf. Mülleri antiquitates Antiochenas Gott. 1839. 4, p. 56 sqq.

183) Vell. Paterc. I. 15. 4; II. 7. 7.

184) Cf. Orbis descriptio apud Bodium l. c. p. XVIII.

Unum restat ut agamus, cujus causa omnis haec proludendi opera suscepta est. Instat enim in d. xx. Augusti

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

natalis, pie et cum summa divinae providentiae veneratione celebrandus, cujus diei splendorem vir illustrissimus et clarissimus, collega conjunctissimus,

EDUARDUS PLATNERUS

J. U. D. et P. P. O.

oratione in auditorio majori habenda illustrabit. Hujus igitur sacri ceremoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint *Professores omnium ordinum, summe venerabiles, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, juvenes denique disciplinae nostrae commissi ornatissimi atque suavissimi,* ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi die XVI. Augusti MDCCCXLI.